Armar 2 abbac 2 mur n 4

6
11-D

6
8 F
34

Ex Bibliotheca
Majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

22-2-32

6-11. D-22

22
d
42

R. P.

PETRI PERPINIANI

SOCIETATIS IESV:

DE VITA ET MORIBVS B. ELISABETAE Luſitaniæ Reginæ HISTORIA.

Biblioth. Coll. Colon. S. I.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus Bernardi Gualtheri.
ANNO M. DC. IX.
Cum privil. S. C. M. & permiſſu Superiorum.

SERENISSIMÆ ILLVSTRISS. PRINCIPI AC DOMINAE, D. ANTONIAE LOTHARINGIAE, Iuliæ, Cliuię, ac Montium Duci, &c. Dominę ſuæ Clementiſſ. ſalutem & fœlicitatem.

VITAM diuerſis præclarè geſtis beatiſſimæ ELISABETAE, Luſitaniæ quondam Reginæ, tribus omninò libris elegantiſſimo ſcriptionis genere ab diſertiſſimo ætatis noſtræ Oratore PETRO IOANNE PERPINIANO, conſcriptam, iamque à nobis iam nunc recens in lucem prolatam, Sereniſſimæ TVAE Celſitudini non ſine euidenti ratione dedicatam volui, Clementiſſima Domina. Quippe quæ iam annorum aliquot decurſu plurimis ſaluteis præclarum eximiæ virtutis TVAE ſpecimen quàm primumque publicè edidiſti. Adeò quidem, vt qui rationem totius vitæ TVAE conuerſationem probè perſpectam habent, ambigere nullatenus queant, quin plurima TIBI cum hac tam admirandæ ſanctitatis Heroi-

na communia ſint. Illa enim licet ex Regibus prognata eſſet, ac potentiſſimorum Regum non minus filia quàm genitrix exiſteret, nullas tamen vnquam in victu delicias, nullam in moribus molliciem, nullam in veſtitu luxuriam præ ſe tuliſſe legitur, ſed potius ita à teneris vnguiculis vitam inſtituiſſe ſuam, vt lenocinia cupiditatum reſpuiſſe, voluptatum blandimenta contempſiſſe, delicias regni quaſi puerorum crepundias reputaſſe prædicetur. Neque hoc tantum, verùm etiam patientem ſe exhibuit in aduerſis, fortem in periculis, in religione denique conſtantem; pauperum interim ac viduarum parentem ſeſe exhibens, ac miraculorum gloria, tam viua quàm defuncta celebris exiſtens. Quam & PAVLVS *Pontifex Max. hoc nomine* IV. *inſtante nimirum Ioanne tertio Luſitaniæ Rege, ita in terris poſt obitum honorari permiſit, vt in omnibus Portugalliæ regnis aras eidem dedicare, ſtatuas erigere, tabellas affigere, ſolemneſque precationes publico Eccleſiæ ritu decantare licuerit: idque in memoriam nominis eius ſempiternam. Et hactenus quidem de* B. ELISABETA.

DE TE *verò Sereniſſima Domina, quid dicemus, quæ inſigni morum modeſtia præ-*

fulgens

fulgens, in iſto præcipuæ dignitatis gradu demiſſo ſemper animo extitiſti, liberalis in egenos, lenis in afflictos, effuſa in religioſos. Vt nihil hîc interim dicam, quàm ſis in DEVM *pia, quàm in precibus feruida, quàm denique in conſeruanda auitæ fidei Catholicæ ſtudioſa: prorſus, ut hoc nomine nullas grauiſſimarum aduerſitatum procellas, nullas potentiſſimorum Principum minas, nullas denique hæreticorum inſidias ullo unquam tibi tempore pertimeſcendas exiſtimaueris. Et hæc quidem in Principe fœmina rara ſunt, immortalia ſunt, diuina ſunt; imò digna quæ & monumentis annalium mandentur, & poſteritati propagentur. Pro his namque heroicis virtutibus* TVIS, *atque inſignis animi conſtantiæ, veram tibi laudem apud poſteros, ſempiternam verò cæleſtis victoriæ coronam apud Superos paratam eſſe ſcito.*

Sic voueo ego

deditiſſimus Celſitudinis
Veſtræ clientulus

Bernardus Gualtherius, ciuis ac Bibliopola Colonienſ.

FACVLTAS R. P. PROVINcialis Prouinciæ Rhenanæ Societatis IESV.

CVM *Sacræ Cæſareæ Maieſtatis decreto omnibus & ſingulis Typographis & Bibliopolis, ac aliis quibuscumque publicam negotiationem exercentibus ſerio mandetur & inhibeatur, ne quiſquam libros Societatis noſtræ a Patribus hactenus editos, vel in poſterum edendos, in ſacri Romani Imperij regnorum & dominiorum ſuæ Cæſareæ Maieſtatis hæreditariorum finibus ſimili, vel alio characteris genere, aut forma, ſiue in toto, ſiue in parte recudere, vel alio recudendos mittere, aut alibi etiam impreſſos adducere, vendere & diſtrahere, clam ſeu palam citra iudicium ac teſtimonium ſupradictorum Patrum audeat, vel præſumat: proinde ego* THEDORVS BVSAEVS *Societatis* IESV *per Rheni prouinciam Prouincialis, Bernardo Gualthero Typographo Colonienſi facultatem excudendi Hiſtoriam B. Eliſabetæ Reginæ Luſitaniæ, a R. P.* PETRO PERPINIANO *Societat.* IESV *conſcriptam; atque a deputatis ad id Patribus approbatam. In quorum fidem hoc ei teſtimonium manu noſtra ſubſcriptum & ſigillo munitum dare volumus.* MOLSHEMII *Kalendis Ianuarijs.* ANNO M. DC. IX.

Theodorus Buſæus, Prouincialis.

PETRI PERPINIANI SOCIETATIS IESV,

De vita & moribus Beatæ Eliſabethæ Luſitaniæ Reginæ,

LIBER I.

PROCREATOR ille mundi Deus ab initio quum hanc vniuerſitatem rerum, cælum, terras, maria, & quæ his continentur, imperio crearet, vt in cæteris ferè generibus animantium, ſic in hominibus & ſocietatis & procreationis cauſa ſanè ſapienter eſſe voluit marem & fœminam; ſed non eaſdem vtriuſque partes. Nam vt alter ſine altero ſatis commodè viuere non poſſet, neque ſuum genus propagare longiùs, ſic neceſſe eſſet alterutrum ſuperuacaneum videri, ſi vtriuſque in tuenda vita & propaganda ſobole eadem omnino vis eſſet, idem munus. Igitur virum præeſſe voluit, fœminam obtemperare: hanc rei familiaris, illum ipſius matris familias iuſſit eſſe cuſtodem: huius eſt intra parietes domeſticos regere familiam, educare liberos, per virum parta conſeruare, ſic [illegible] illius, quæ ſuppeditent ad cultum, atque victum comparare bonis artibus, & quemadmodum omnia domi velit adminiſtrari, præſcribere. Itaque non ſine cauſa virum eximio quodam robore & corporis & animi ſeptum videmus, mulierem contra leuem & imbecillem, & hanc expertem conſilij, commu[illegible]

que prudentię, illum pręclaram quandam naturę ipſius habitum, & egregia ſapientia ornatum. Nimirum maiorem quandam vim ad omnes res humanas moderandas opus eſſe viris; & fœminæ, quibus ſe etiam viribus, cum conſilio pares eſſe cognoſcerent, iis æquo animo parere non poſſent. Quo mihi certè mirabilior fœminarum, quàm virorum virtus videri ſolet. Etenim ſi vehementius miramur, quæ præclare pueri, vel adoleſcentuli fecerunt, quam quæ viri, & vnum idemque factum tantò maiorem laudem conſequitur, quanto pauciora & minora ad efficiendum adiumenta creditur habuiſſe, qui geſſit; non eſt mirum viros multa ſapienter facere, multa iuſtè, multa fortiter, multa moderatè, quos ipſa natura prudentes quodammodo, & ęquos & excelſos genuit, & temperatos: ſed mulieres corpore fragili, animo paruo & anguſto, inconſtante leuique mente, effrænatis appetitionibus patientes aliquando, & fortes, & graues, & inuictas ſe præbere, id mihi demum magnum, admirabile, monſtri ſimile videtur. Moyſes Iudæos è ſummis periculis, & acerbiſſima ſeruitute liberatos, prudentiſſimè Deo iuuante gubernauit: quis non hoc vehementer admiretur? at cum à Debora idem effectum eſſe legimus, vel audimus, id vnum ducimus iure eſſe mirandum. Si IESVS Hebræorum Imperator, ſi Gedeon, ſi Samſon, ſi quiuis alius de fortiſſimis ducibus Iſraelitarum in ſuo tabernaculo caput Holoferni amputaſſet, facinus quidem inſigne putaretur: ſed multò magis Iuditham cenſemus eſſe prædicandam, quum id fœmina non aggreſſa modò fuerit, verum etiam perfecerit, quod vel maximo animo viros perterrere potuiſſet. Ego verò tametſi omnium Chriſti Martyrum gra-

uiſ-

pietatem & conſtantiam, vt par eſt, obſtupeſco, tamē non tam Ignatium, Polycarpum, Laurentium, quam Blandinam, Cointham, Felicitatem ſuſpiciendam puto: neque tam nobilium adoleſcentium virtute commoueor, qui quùm impellerentur ad impia ſacrificia, manus vltro in flammam porrectas, in prunas lecti defluere viderunt, quam præſtantiſſimarum matronarum altitudine animi, & incredibili robore: quæ partim quum alios iam mortuos vehiculis ad ignem rapi, filios ſuos ſemiuiuos relinqui viderent, ſi forte ſententiam mutarent, eos ipſæ ſuis manibus in eadem plauſtra cum cæteris conijciebant: vt quorum fuiſſent in certamine ſocij, eorundem eſſent comites in triumpho: partim ſupra muliebrem naturam, ſupra vires filios complexæ paruulos, vt ne pueri quidem infantes expertes eſſent tantæ gloriæ, ſine pallio per media agmina ſatellitū, cohorteſq; prætorianas, ad cædem, ad flammā, ad omnes extremos corporis cruciatus, tanquam ad conuiuiū magnificè ac ſplendidè ornatū aduolabant: & diuino quodam ardore, nouo & inſolito more eos obijciebant telis impiorū, quos alioqui, ſi de hac breui tantum vita certaretur, vel ſuorū corporū oppoſitu, ex medijs inimicorū armis, fuiſſent eripere conatæ. Quare quū multa per fœminas omnibus ætatibus ægregiè facta memorentur; nihil equidem miror aliquem extitiſſe aliquando, qui mulierum virtutes literis mandaret, ſed illud miror, non idē in chriſtianis fœminis feciſſe multos, quod in Romanis & Græcis non nemo aliquando fecit. Quod ſi veteres illi rerū geſtarum ſcriptores hūc rerum copiā nacti fuiſſent, profectò sūmo ſtudio ab humanâ obliuione vindicaſſent, neq; tot ſecula in hiſce tenebris ignorationis res tantæ tacuiſſent. Verum eſſet

[illegible] & antiquitatis cognitu, & orationis co-
piam, ut quod cæteri vel neglexerunt, vel timuerunt, ex-
[illegible] poſſem: non mihi certè ſtudium, voluntasq;
de[illegible], res ab excellentibus religionis noſtræ mulie-
ribus geſtas conſcribendi. Sed quoniam periculoſū
eſt exiguo lintre immenſos Oceani ſuperare gurgi-
tes, vela contrahere decreui: & quaſi littora legens
vnius alicuius mulieris illuſtris virtutem, quoad o-
ratione conſequi poſſim, reddere æternam. Igitur de
vita ſanctiſſimiſque moribus Eliſabetę Luſitanię re-
ginæ diligenter expediam. Hanc enim mihi potiſſi-
mum eligendam eſſe duxi multis & iuſtiſſimis de
cauſis. Nam primùm quum ex tanta multitudine di-
uinorum hominum, qui apud exteras nationes vitæ
ſanctitate floruerunt, paucillimorum & quidem pa-
rum multa teneamus; Hiſpanorum autem qui non
minus multi religione præſtiterunt, vix nomina ipſa
edere poſſimus, non mediocriter numinis diuini
gloriam apud homines amplificatum iri credidi; ſi
præcelles, virtus & integritas, quæ tam multos an-
nos non ſolũ vnius oppidi finibus, ſed etiam vnius
tecti anguſtijs incluſa latuiſſet, ſpargeretur (ſi quid
hac orationis tenuitate poſſem efficere) ac diſſemi-
naretur in orbis terræ memoriam ſempiternam. Ac-
cedit quod hic labor aui eius ſummi viri meritis de-
betur, qui patriam meam miſerrima Saracenorum
dominatione liberauit. Neque vero Ioani tertio Lu-
ſitaniæ regi mortuo pro maximis beneficijs, quibus
noſtram hanc ſocietatem ornauit, alia ratione mẽ-
[illegible] gratiam referre poſſumus, quam ſi poſteris pro-
damus factorum eius memoriam, cuius ille fuit ſtu-
dioſiſſimus dum vixit: & noſter amor aduerſus Co-
nimbricenſem Academiam poſtulare quodammo-
do vi-

do videtur, vt eam quoad facere poſſimus, verbis ornemus, cum vir Dionyſius primus Luſitaniæ regum aggr[illegible], hic ras vrbium vnam ex omnibus ſedem [illegible] delegit. Hæc qui ſecum ipſe diligentius conſiderarit, is non modo hiſtoriam ſcribendi [illegible] [illegible], nō [illegible] temerè, ſed diuino quodā conſilio promiſſum eſſe, vt proximis annis in [illegible] [illegible] ampla mihi potiſſimum aliqua [illegible] pro ad hoc munus, vt de rebus ab ea geſtis verba facerem, negotium daretur. Nam ſi quis naturæ muliebris imbecillitatem intuens forte vereatur, ne modica ſint & tenuia, quæ fecit; huic ego [illegible] diuinæ virtutis polliceri auſim, eam fore magnitudinem rerum, vt non mediocrem admirationem, [illegible] varietatem, vt nulli vnq; ſit allatura faſtidiū. Nunc antequā exponamus reginæ facta, nō incommodū erit de maioribus eius, parentibus, ortu explicare copioſiùs; vt res multas & varias, ab hominum memoria remotas ſub vnum quaſi aſpectū ſubijcere poſſimus. [illegible] Eliſabeta Luſitaniæ regina, & paterna & materna ſtirpe fuerat clariſſimis auis, & maioribus nata. Sed maternum genus multis editis exemplis crudelitatis, atque perfidiæ, in ſummam venerat inuidiā: paternum autē, etiamſi noua affinitas nonnihil offenſionis habebat, & ſimilem quandam maculā [illegible], ſingulari tamen pietate maiorum commendabatur. Mater eius Conſtantia Manfredi impij Siciliæ regis filia, Federici ſecundi Cæſaris nepotis ſui, qui [illegible] regni Siculi, formidoloſiſſimus habuit [illegible] imperij Romani, & impietatem patriam, atque auitam, velut hæreditariam filiæ reliquit. Pater, Petrus rex Aragonum, vir

ſpiritus ingentis, Iacobo rege natus erat, & Violan-
tia regis Pannoniæ filia: quorum ille ob egregiam
virtutem vulgò a ſuis in cœtu beatorum collocatur,
hæc ſororem habuit S. Eliſabetã, quæ mirifica pieta-
te vitam beatam & immortalem adepta, iucũda me-
moria poſteritatis celebratur. Verum hæc repetam
paulò altius, & quam breuiſſimè fieri poteſt, quem-
admodum geſta ſint, cõmemoremus. Federicus Cæ-
ſar, qui primus hoc nomine ſummũ cõſequutus im-
periũ Aenobarbus vocitabatur, poſt reditũ in gratiã
cum Alexandro III. Pontif. Max. quem hoſtili ſtudio
diu oppugnarat, res maximas in Aſia gerẽns vortico-
sũ amnem ingreſſus, vel lauandi cauſa, vel traijciẽdi,
repentina morte indigna tanto imperio luctũ exer-
citui victori fugamque reliquerat. Henricus eius fi-
lius iã apud Germanos adminiſtras rerum ſummã,
euocatus in Italiam, victoq; Tãcredo Rogerij ex cõ-
cubina filio, qui in Neapolitani, Siculiq; regni poſ-
ſeſſione Guilielmi morte quaſi caducam atque va-
cuam inuolarat, ſũma Pontif. Max. volũtate potitus
eſt rerum. Eum etiam & vltra fretum imperare æquius
viſum, quippe qui Conſtantiam eiuſdem Rogerij fi-
liam iuſto matrimonio natã coniugem haberet, ſiue
eam ſuperioribus annis ætate florentẽ, autore Fede-
rico patre duxerit, ſiue iam annos quinquaginta na-
tam & publico ritu Chriſto conſecratã antea, tũ ad-
ueniẽnti Pontifex Romanus, voto religioneq; ſolu-
tam in matrimonium collocarit. Sed mox propte-
rea quòd exemplo patris rem Pontificiam vexabat,
ab innocẽtia ſacris altaribus templisq; prohibitus,
diſceſſit e vita. Conſtantia prudens fœmina Federi-
co filio regnum impetrauit, qui poſt matris obitum
declaratus Cæſar, principiò Pontificiam dignitatem

magno ſtudio complecti videbatur: poſtmodũ mutato animo patrẽ, auũq; ſuũ eiuſdẽ contẽptu, & morum acerbitate ſuperauit. Ingeniũ illi præſtans, magnum & corporis robur, ſingularis laborũ patiẽtia, eximia prudẽtia rei militaris, ardens doctrinæ ſtudium; Græcæ, Latinæ Germanicæ, Gallicæ, Arabicæq; linguæ ſciẽtia prope par, digna Cæſare munificentia. Has tãtas viri virtutes ingentia vitia æquabant. Flagitioſa & impura vita, effrenatior gloriæ, dominandiq; cupiditas, inhumana crudelitas in victos, quę Italiã penè vniuerſam miſerabili vaſtitate, & funeſta quadam partium contentione deformauit. Societas cum Saracenis maior, quam Imperatorem decebat, ab vniuerſa Chriſtiana Rep. deteſtatũ, quibus Tunete vſque aduocatis Luceriam attribuerat vrbem Apuliæ perantiquam: perfidia in Pontifices Romanos propè incredibilis: odium tantum; vt quibus priuatis familiariſſimè eſſet vſus, eoſdem Pontificatum adeptos maximũ, duceret capitales hoſtes. Has ob res quum ei non ſemel ſacris interdictum eſſet, & cõmercio piorũ, atq; imperium abrogatum, Mãfredo filio notho repente dignas impietate & immanitate ſua pœnas perſoluit. Iuuenis enim cupidus pecuniæ patris & regno potiundi, graui morbo diu conflictatũ ſenẽ creditur in ipſo lecto ſtrangulaſſe. Idem Conradum fratrem (nam hæc ſuſpicio valuit) ad quẽ hæreditas paterni, auitique regni pertinebat, ſublato veneno, eademque fraude Conradinum eius filium paruum peremiſſet, niſi mater ſagaciſſima fœmina odorata veneni conſilia, occultas artes inimici domeſtici pari artificio ludificaſſet. Fefellit Innocentium quartum ex Gallia reuertentem ſimulata [illegible] Pontificium exercitum [illegible] Conradi-

num

bum eſſe mortuum, & occupato regno Saraceno mi-
litem Italiam ad exitium, vaſtitatemq́; vocabat. At ve-
rò Deus parricidæ crudelitatem cum impietate con-
iunctam, impunitam & liberã nõ paſſus eſt eſſe, quã-
tò lenius, tantò grauius improbitatem diuturnam
vindicauit. Carolus prouinciæ comes (pars hæc eſt
Galliæ Narbonenſis) a ſummo Pontif. accerſitus in
Italiam, conflixit cum illo perfidioſo monſtro, qui
magno prælio victus cum ſuis Saracenis ad Beneuē-
tum, & multis vulneribus confoſſus, quales exitus
habere par eſt eos, qui ad explendam dominandi cupi-
ditatem Chriſtiani nominis hoſtes adiutores adhi-
bent, in ipſa acie teterrimam animam patria, frater-
naq́ue cæde contaminatam, miſerabiliter effudit,
vitamque ſimul amiſit, & regnum. Hoc patre, his a-
uis, & maioribus nata Conſtantia Eliſabetæ noſtræ
mater, non mediocri moderatione fuit, & pruden-
tia. Eius in Siciliam aduentus, illius magnæ conſtan-
tiæ memoriam, cuius deſiderium inſulanorum adhuc
animos tenebat, renouauit. Itaque cum Siculi Ca-
rolum Claudum filium ſuperioris, & hæredem re-
gni, captum à Rogerio Loria claſſis Aragoniæ præ-
fecto interficere pararent, cum iam in inſula cuſto-
dia cæteris captiuis, placauit illa furentem dolore
multitudinem, nobilemque prædam in Hiſpaniam
miſit ad regem, & poſt eius mortem pace facta cum
Gallo, iam ante è carcere emiſſo, cum Iacobo filio
Aragoniæ, Siciliæque rege, Bonifacium octauum ſū-
mum Põtif. adijt, a quo perhumaniter accepti, in So-
cietatem piorum, quorum cõſuetudine atque cætu
iamdudum excluſi fuerant, reſtituti ſunt. Atque hæc
de materno genere, nunc ad paternum redeamus. Pe-
trus rex Aragonius (nam Celtiberi fere veteres po-
pulo

lium reſpirare à barbarorum armis Hiſpania Ara-
gonij vocari cœpit) hoc nomine ſecundus, vir magni
& inuicti animi, dignusque qui pro meliore cauſa pu-
gnans occidiſſet, cuius potiſſimum excellens corpo-
ris & animi vis enituit in illa memorabili pugna à
tribus Hiſpaniæ regibus cum Mahomete vtriuſque
Mauritaniæ, Bæticæque rege ad ſaltum Caſtulonen-
ſem commiſſa; vnicum ex coniuge ætate prouectiore
filium ſuſcepit, & præter opinionem ſerior omniū
in ſumma ciuitatum expectatione, nam is nouo con-
ſilio, non ſine diuina ope natus ad profligandos Chri-
ſtianæ religionis hoſtes, & ex Hiſpaniæ citerioris fi-
nibus exterminandos, etiam caſu Sacerdotum quid
accidiſſet ignorantium, publicam regni ſalutem de-
nunciante, Iacobi Apoſtoli nomen, quem Hiſpani
ſæpe reges difficillimis in bellis adiutorem, & de-
fenſorem maximum ſenſerant, quaſi diuinitus da-
tum accepit. Poſt vbi adoleuit, & ceptrum inſignis ſi-
gnum, & regnum patrium adeptus, vel belli, vel pa-
cis artibus clarus, Saracenorum opes vehementer af-
flixit. Balearem inſulam maiorem vi cepit, minorem
belli terrore ſtipendiariam fecit, Ebuſum ſub ſuam
ditionem ſubiecit. In continenti vero ſæpe cum ho-
ſte congreſſus armatus Valentiam nobilem vrbem,
& omni copiarum genere abundantem, cum cæteris
eius regni oppidis, & Caſtellis expugnauit, ex vrba-
nitate cum Alphonſo Caſtellæ rege deſignato ex Mur-
ciano regno Saracenus, quod ad Ibericum mare perti-
net inter Valent. & Granatenſe regnum. Verum quia illa
pars Hiſpaniæ Caſtellanis regibus attributa fuiſſet,
quæcunq; recuperauerat, amiciſſimis remiſit, ipſe ſibi
fortitudinis, & induſtriæ gloriā, & eā pij laboris fru-
ctū ſēpiternū reſeruauit. Quo quidē tēpore multa le-
gi-

ri singulari pietate adiuuante diuinitus accidiſſe. Nã & paucißimi equites præmiſſi in Valentinum agrum innumerabilẽ pene multitudinẽ hoſtiũ, quæ ſe vndique repente in eos inuaſerat, cæleſtibus adiumẽtis, & terrore diuinitùs iniecto incolumes ipſi profligauerunt, & in ipſa obſidione vrbis, cum ducẽ quendam de ſuis in tabernaculo ex vulnere iacentẽ inuiſiſſet, reuelliſſe femore ſagittam ſua manu, & ſtupa in feruida maluaſia, & ad femora poſita ſanaſſe vulnus. Sexaginta annos in aſſiduis laboribus regnauit duodeſexaginta; charus ſuis, admirabilis exteris, hoſtibus formidoloſus, religionis fortiſſimus defenſor, cuius amplificandæ ſtudio ad duo millia templorum partim in inſulis, partim in continenti ab hoſte recepta excitaſſe & ornaſſe dicitur; præter ea domicilia, quæ ſanctiſſimis tum virorum, tum Virginum cætibus ædificauit. Extrema ſenectute Ciſtercienſium Monachorum habitu ſuſcepto, abdicatoque regno, ſummo luctu ſuorum, magno Hiſpaniæ dolore migrauit e vita; & tribus reginis, quarum vna erat ipſius filia, duæ nurus, duobusq; filiis regibus funus proſequentibus, elatus eſt. Mortuo propter innocẽtiam vitæ, ſanctus, propter virtutẽ militarẽ, magnus expugnator, propter ſecundos bellorum exitus, fęlix, propter hęc vniuerſa, Rex iucundæ ad poſteros memoriæ ſempiternum illi manſit cognomen. Iure profecto fit, vt & impiorum pœnis ſeueriſſima exempla reliquis prodãtur in poſterùm, & bonorum vita optabili exitu concluſa, cęteri ad imitandũ inuitentur. Fuit per idẽ tẽpus Andreas rex Pannoniæ magnis opibus, eximia virtute, qui à Pontifice max. præpoſitus Syriæ rebus Imperator Damiatam opulentiſſimã vrbẽ Aegypti,

(quod

(quod Pelusium priſcis dictum eſſe viri docti arbitrantur, poſt ab AElio quodam, qui eam diligentius munierit, AEliopolim nominatam eſſe nonnulli confirmant) multorum menſium obſidione cepit, ſed hoſtili fraude circumuẽtus breui amiſit cum omni præda. Huius ex filia Violantia Iacobus rex Aragonius Petrum filium ſuſcepit, qui cum adoleuiſſet Conſtantiam Manfredi filiam inuito & repugnante patre duxit in matrimonium. Eam rem pater periniquo animo tuliſſe dicitur. Atque hæc illi fortaſſe cauſa fuit, cur nunquam amplius ante vltimum vitæ diem, quod antiquiſſimis literis vidi teſtatum, aut filium, aut ipſius liberos in ſuum conſpectum venire pateretur. Vir ſcilicet, quantum aſſequi poſſim coniectura, pontificiæ maieſtatis obſeruantiſſimus & amantiſſimus religionis, filium ex ea familia fœminam ducere nolebat, à qua hæc tam grauiter, & oppugnata fuiſſent, & adhuc oppugnarentur. Sed Petrus virtute, magnitudine animi, armorum ſcientia nulli regum inferior, multa & magna prælia ſecunda cum Saraceno hoſte fecit. Pietas, & religio paululũ, vt videtur, hæſit ad metas affinitate noua Siculorum regum, & rebus omnibus præclarè geſtis, triſtis ac deplorandus exitus quodammodo tenebras offudit. Nam Gallis vno tempore à Siculis contrucidatis, vehementer reclamante Pontifice maximo, totam Inſulam vxoris nomine redegit in imperij deditionẽ. Deinde ad diem pugnæ dictam, vt cum centenis equitibus delectis duo cognati reges de vniuerſo Siciliæ iure, ferro decernerent; aut non adfuit palàm, ſed iuriſiurandi religionem eludens, clàm vel apud Præfectum Burdigalæ, vbi pugnandum erat, vel apud alios iniquitatem certaminis, locique cauſatus eſt, ac ſubi-

ac ſubitò magnis itineribus reuertit domum: aut certè ſimulato ante metu, vt adfuturum nemo ſuſpicaretur, præfinita die repente conſtitit armatus in conſpectu omnium inſidens in equo, clariſſimaque voce Carolum abſentem increpitans & incuſans, cum pauliſper circumequitaſſet, diurnis nocturniſque itineribus redijt ad ſuos. Poſtremò, cum non ſolum à templis & ſacris arceretur, impiorumque ac ſceleratorum numero haberetur pontificijs edictis, verum etiam Regni nomine & honore ſpoliatus, vt religionis deſertor, aut Saracenus aliquis oppugnaretur, cum Gallorum copijs in Hiſpaniam influentibus maiore animo, quàm viribus reſiſtere conatur, cum paucis (iam ab Aragonijs derelictus, quorum immunitates & inſtituta ſuſtulerat, a ſolis Catalanis quamuis eadem mala perpeſſis adiuuabatur) accepta plaga paucis poſt diebus eſt mortuus. Vulneris mentionem non faciunt domeſtici ſcriptores. Aliquantò poſt Gerundam à Gallo captam, morbo interijſſe dicunt. Conſtat non reconciliata Pontificis voluntate deceſſiſſe, & illam interdictionem ſacrorum multos annos vſque ad Bonifacium octauum & Iacobum regem filium ipſius valuiſſe. Verum moriturus expiauit confeſſione crimina, & ſanctiſſimum Corpus Chriſti ſumpſit admonitu ſacerdotis, quem ille a ſacris confeſſionibus habebat, etiamſi pauliſper recuſarit, territus eorum conſcientia, quæ feciſſet contra Pontificis Maximi voluntatem. Habuit ex Conſtantia liberos aliquot: in his Eliſabetam, cuius vitam atque mores inſtituimus narrare. Hoc fuit patrium genus ſanctiſſimæ Reginæ, quam Iacobi aui ſui ſimiliorem, quam vel vtriuſque Frederici, vel Manfredi futuram ortus ipſe quodam-

dammodo portendit. Id enim mirabiliter natura eſt ipſa fabricata, vt in vtero pueri ad arcendam noxam duabus membranis muniantur, quarum altera totus fœtus vndique tegitur, altera veluti baltheo cingitur tantùm medius, & paribus ponderibus libratus pendet ex locis: illam, quæ tenuior eſt, infans in lucem prodire geſtiens, inopia nutrimenti, occulto quodam velut naturæ ipſius impulſu abrumpit. Eaque res initium affert pariendi matri, quæ vbi partum eſt ipſum enixa, inopem atque nudum, tum ſecundo loco ejicit illa integumenta fœtus, interitum allatura, ſi continerentur. Hinc ὕστερα Græcè, Latinè ſecundæ nominantur. At Eliſabeta, vt erat in vtero ſic tecta ex omni parte & obuoluta ſecundis edita eſt in lucem, quas cum obſtetrix abſcidiſſet, extitit ex illis inuolucris verecunda puella, quæ nuda quodammodò naſci erubeſcens, traxit ea quaſi veſtimenta ſecum, quibus erat in ipſo vtero amicta. Equidem, tametſi multis accidere ſolere ſcio, vt fronte, aut collo tenus inuoluti naſcantur, tamen in hoc partu neſcio quid ſignificatum eſſe credo magnum atque diuinum: cùm ea, quæ in matrimonio non vulgare vitæ genus erat ſequutura, vel ſola ex omni memoria, vel inter pauciſſimos, vndique ſepta membranis, inſolita quadam ratione ſit nata. Certè mater, ſiue rei nouitate commota, ſiue quod futurum erat, iam tum animo & cogitatione proſpiciens, ſecundas puellæ detractas, & in capſula argentea conditas in ſuis theſauris iuſſit aſſeruari. Erat ille annus milleſimus trecenteſimus nonus à Cæſare, ab ortu verò ſalutari Chriſti Opt. Max. milleſimus ducenteſimus ſeptuageſimus primus.

Nam vt inſtitutis Luſitanorum Regum, & Hiſpanorum fermè omnium literis perſcriptum eſt, deductio triginta octo annorum facienda eſt, vt ad Chriſti annos redigantur anni Cæſaris, quos nimio quodam ſtudio Romanorum rerum priſci mortales in hiſce locis numerabant. Ipſe verò natalis dies, qui fuerit, aut quæ primum vrbs, quod ſolum naſcentem illam exceperit; nuſquam in monumentis reperi notatum: id nimirum voluerunt diuinare poſteros. Adductam in templum vt ablueretur aqua ſacra, parentes Eliſabetam vocari præceperunt? Nam proximis annis fuerat Eliſabeta Andreæ Regis Pannoniæ, de quo ſupra dixi, filia, ſoror Violantiæ, quam Iacobus puellæ auus, vt iam ante ſignificatum eſt, habuit vxorem, quæ Conradum ex B. Franciſci familia virum & doctrina & probitate illis temporibus inſignem, magiſtrum nacta morum, tantum profecerat in ſtudio pietatis, vt ſpecimen quoddam omnium virtutum videretur. Nupſit iuſſu patris Ludouico Lanthgrauio Turingię (libet enim de moribus eius paulò plura dicere, quam res fortaſſe flagitabat, tum quia propinqua fuit Eliſabetæ, tum quod hoc illa domeſticum exemplum habuit propoſitum ad imitandum) multaſque mala, multaſque contumelias egregia cóſtantia perpeſſa, tandem ſuperatis difficultatibus, ipſum virum ad eandem viuendi rationem impulit, qui publicè princeps, priuatim admirabilis virtutis ſocius liberam poteſtatem vxori permiſit quicquid commodum putaret, faciundi. Illa mariti voluntate publicè vouit, ſe caſtum, integrumque corpus in omni reliqua vita ſeruaturam. Ne à ſuis quidem ſe dominam vocari patiebatur, & ipſa lanificio dedita inter lucubrantes ancillas pernoctabat, quas & ad latus

ſuum

ſecum ſedere, & pariter ſecum ex eadem ſcutella ca-
pere cibum imperabat. Et cum aliquę ſordes, quas ho-
neſtæ matronæ pertimeſcerent, ſine grauitate lætitiâ
ferebat. Vicerat enim ſummiſſio animæ faſtidium,
ſui deſpectus gloriæ cupiditatem, ſtudium imitandi
Chriſti falſam opinionem, quæ in vobis hominibus non
modo pretia rerum, ſed, verè etiam vocabula iam o-
lim ſuſtulerunt: colebat iniurias, in ſumma copia in-
opiæ incommoda ſua ſponte ſuſtinebat: multa ine-
dia, deliciarum corpus affligebat: bonam temporis
diurni, nocturnique partem in ſacris precationibus,
& contemplatione rerum cœleſtium collocabat: in
qua ſic aliquando diuina quadam ſuauitate liqueſce-
bat, ſic abſtrahebatur à ſenſu corporis, vt ne veſti-
mentis quidem caſu aliquo ardentibus (niſi à ſuis ex-
citaretur) flammam ſentiret. Poſteaquam Landtgrauius
ad bellum Syriacum profectus domo, Brunduſij ſine
liberis eſt mortuus, cum omnia eius bona ad cogna-
tos & gentiles ſui rediſſent, Eliſabeta de eo, quod
ipſa nomine dotis acceperat, excitauit publicum va-
letudinarium, vbi pauperibus, & ægrotis humiliter
ac demiſsè inſeruiens, lanaque ac tela conſumptis
iam bonis, & ſibi victum & illis quæritans, non ſor-
des faſtidiens, non verita morborum contagionem,
non labori parcens, non ſumptibus, in ſanctiſſimo
famulatu reliquum omne vitæ ſuæ tempus conſum-
pſit. Sedecim mortuos reuocauit ad vitam: cuidam
non aliquo caſu, ſed natura (vt) cæco, dedit oculo-
rum lumen. Quas ob cauſas Greg. Pont. Max. nonus
ab eo, qui primus accepit hoc nomen, maximâ cum
cæterorum & communi purpuratorum patrum ſen-
tentia poſt mortem eam retulit in numerum beata-
rum ſuq; duodecimo Kal. Decemb. Eccleſiæ Roma-

memore & inſtituto, nomine ipſius, & publicæ vbique preces, & ſacra peraguntur, ſicque celebritatem hominum atque famam, ſi ſecuta fuiſſet, iam nunc omnino veniſſet in obliuionem, dum ea fugit, non modo beatam vitam & æternam, quod optabat, verumetiam quod contemnebat, nominis eſt immortalitatem conſecuta: ergo huic Eliſabetæ, quæ magna fuerat Matertera puellæ, iam ad æternitatem & religionem, & memoriam conſecratę, cum honorem, atque cultum parentes tribuendum putauerunt, vt eodem nomine iuberent appellari. Neque verò temere, ſed diuino conſilio factum eſſe arbitror, vt idem recens natæ puellæ nomen imponeretur, cum eandem perſequens viuendi rationem in eadem ſeruitute voluntaria eſſet moritura; non ſatis conueniebat Petro cum Iacobo patre, vt iam ſupra memoratum eſt. Senex tamen optimus tametſi neque filium, neque nepotes æquo animo poterat videre, vbi Eliſabetam natam eſſe audijt, adduci iuſſit ad ſe puellam, & eam quaſi adoptans ſibi, tanto diligentius educauit, quanto maior auorum in nepotes, quam parentum in liberos amor & indulgentia ſolet eſſe. Illa talem adepta ſuæ pueritiæ cuſtodem, & magiſtrum, quantum illa ineuntis ætatis imbecillitas, & omnium rerum rudis animus patiebatur, magnos efficiebat in omni virtutis genere progreſſus. Itaque auus, cum amore ipſo adductus, tum egregiam & præclaram quandam ad virtutem indolem in ea eſſe cognoſcens, crebris hoc ſolebat vſurpare ſermonibus, & vt ego arbitror, non ſine quadam præſenſione rerum futurarum, ſuam illam neptem & alumnam futuram eſſe longè optimam, & præſtantiſſimam omnium fœminarum, quæ antiqua & generoſa ſtirpe Arago-

Aragoniorum regum aliquando ortæ fuiſſent. Sex circiter annos ad ſummum habebat Eliſabeta, cum rex Iacobus exijt è vita: nam hic obijt anno à partu virginis milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſexto, illa ſeptuageſimo primo edita fuerat in lucem. Reducta in domum patris modeſtiſſima puella, aui ſui verbis & præceptis & exemplis incitata, non modo retinuit eundem ſanctiſſimæ vitæ curſum, verumetiam aſpirante Numinis cæleſtis aura in dies concitatior ad perfectiſſimam officij rationem euolabat. Repudiare ludos pueriles, contemnere omnem inſignem corporis ornatum, fucos & cætera formæ lenocinia reijcere, ſermones æqualium declinare, fugere delitias: pro his comprecari Deum, Deiparam, cæleſteſque omnes, recitare ſtatas, & ſolennes precationes, ſæpe a cibo abſtinere, ſuppeditare multa pauperibus, omniq́ue contendere ad ſummam probitatem morum, & modeſtiam. Iam tum virtutis, quę poſtea extitit, in illis primis annis, vt in herbis non fallacibus vberrimi fructus apparebant: vt eam ipſe rex non ſolum in delitijs vt filiam cariſſimam, ſed etiam in magno pretio vt ſanctiſſimam virginem haberet, & vulgò ac crebrò dictitaret; ſuam in rebus domeſticis & externis adminiſtrandis felicitatem regniq́ue ſimul amplificationem, & gloriæ, filiæ ſuæ religioni & integritati, & continentiæ magis, quam aut ſapientiæ cuiuſque, aut virtuti militum, aut regijs opibus deberi. nimirum eius cauſa ſua conſilia, ſuas acies, proxima & longinqua bella diuino numine & poteſtate gubernari. Porro ea erat compoſitio membrorum, ea figura totius oris, & ſpecies, quæ animi lineamenta & pulchritudinem facile

 decla-

declarare videretur. His ob res apud omnes principes Chriſtianos in Italia, Gallia, Britannia celebrabatur multorum ſermone, & literis crebris, ac legationibus vndique in matrimonium poſtulabatur. Etenim incredibilis eſt vis, & pulchritudo virtutis: cuius non ſolum aſpectu, verumetiam commemoratione mirabiles in mentibus hominum amores excitantur. Quod cum virgo cupida pudicitiæ retinendæ cerneret, magno dolore afficiebatur; præſertim quod eos eſſe intelligeret, qui tantopere feſtinarent, quibus propter coniunctionem cognationis ſine nouo Pontificis maximi decreto nubere ſibi non liceret. At pater nullis precibus, nullis conditionibus adduci poterat, vt eam ab ſe diuelli, & ſegregari pateretur. Sic filiam ob egregiam morum ſanctimoniam amabat, vt eius ſanctiſſima conſuetudine, & ſuauiſſimo conſpectu carere non poſſet. Per idem tempus in Luſitania mortuo Alphonſo tertio, Dionyſius eius filius ex Beatrice regina maximus natu, menſe Martio anno ab ortu Chriſti milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo nono, totius populi conſenſu rex Oliſipone fuerat conſalutatus. Extitit ille ſiue copijs omnium rerum, magnitudine pecuniæ & potentia præſtans, quibus rebus pleroſque Luſitaniæ reges longè ſuperauit; ſed regijs animi virtutibus multo præſtantior: veritate, cuius & ipſe ſummus amator fuit, & amatores omnes vnice dilexit & coluit: munificentia, quam cæteri quoque reges & principes admirabantur, magnificentia operum, quippe cum quadraginta quatuor oppida, caſtella, arces, partim ipſe primus excitauerit & perfecerit, partim munierit, & amplificarit, partim vetuſtate collapſa reſtituerit, & vicos aliquot in locis deſertis & incultis ædifi-

[illegible] iuſtitia in [illegible] non ſolum coer-
cendis, verum etiam tollendis, inueteratis errori-
bus, quos neruos Reipublicæ ſapienter appellabat,
in legibus & condendis & conſeruandis, quas nec
ipſe violabat vnquam, nec ſinebat à ſuis violari;
ſtudio Chriſtianæ religionis, cuius amore cum [illegible]-
bus Saracenis nec pacem vnquam habuiſſe dicitur, nec
inducias. Is igitur altero anno, quam regnum ſuſce-
perat, qui ducenteſimus octogeſimus primus ſupra
milleſimum à die Chriſti natali numerabatur, an-
nos ipſe viginti natus, de matris, & eorum, quibus
imperabat ſententia, vxorem ducere decreuit. Tan-
tum Hiſpaniæ fines, non ſolum de Petri regis virtute
præclariſque factis, ſed etiam cum de forma, tum de
moribus Eliſabetæ fama peragrabat. Quibus rebus
commotus Dionyſius, cum [illegible]
eſſet, de conſilio matris & ſuorum legatos miſit Io-
annem Vellium, Ioannem Martinium, Vaſcum [illegible]
conſiliarios ſuos, magna authoritate viros, qui à rege
peterent, vt Eliſabetæ nuptijs frui ſibi liceret. Se
propter eius excellentem virtutem, & patriā auitamq;
gloriā eam rem magni beneficij loco putaturum, ſpe-
rareque fore ne eum affinitatis nouæ pœniteret. Erat
tunc forte Barcinonæ Petrus, quo cum Dionyſij le-
gati perueniſſent, exitum rei opinione & expecta-
tione ſua difficiliorem oſtenderunt. Aderant enim
eo tempore à Britania legati eandem ſui regis filio
[illegible] regniquè hæredi vxorem poſtulantes:
aderantque à Carolo principe Salernitano, Neapoli-
tani, Siciliæque regis filio, cum eiſdem mandatis, iam-
que palam loquebantur homines, parum prudenter
regem talium virorum affinitatem repudiaſſe. Ita-
que Luſitani tametſi non diffidebant impetrari poſſe,

 quod

quod peteret, tamen vereri cœperunt, ne ſibi Eliſa-
betha præriperetur. Sed cum eſſent perhumaniter ac
clementer, vti oportebat, accepti, & ad Petrum re-
gem introducti, Ioannes Vellius princeps legatio-
nis: Non poſſumus, inquit, diſſimulare Rex incly-
te, nos eorum, qui Eliſabetæ filiæ tuæ nuptias af-
fectant, ſplendore, dignitate, potentia nonnihil
commoueri. Multò enim facilius, quod poſtulatum
venimus, obtineremus, ſi opulentiſſimorum Regum
legationes non adeſſent, quibus cum certare nobis
profectò arduum, & difficile videtur. Verun-
tamen bono animo, quid afferamus, exponemus
freti ſapientia & æquitate tua: tuæ partes e-
runt eligere, cui potiſſimum filiam talem col-
locandam putes, Dionyſius Luſitaniæ non ſpe,
ſed adminiſtratione Rex, qui nos ad te legauit,
nihil optat magis, quam Eliſabetam ſibi vxo-
rem dari. Accepit enim communi, & conſtantiſ-
ſima, quas tu res armatus foris, domi togatus geſ-
ſeris: audiuit de amplitudine, & maieſtate tua:
cognouit optimos virginis præſtantis, integerri-
mosque mores, cum formæ dignitate planè regia
coniunctos: exiſtimat non mediocrem acceſſionem
ad laudem patriam atque auitam poſſe fieri, ſi &
eius regis gener appelletur, qui propter virtutem
eximiam nulli Hiſpanorum regum ſecundus nume-
retur, & eius mulieris maritus, quæ modeſtia, pro-
bitate, religione, omnibus æqualibus ſuis antecel-
lat. Nos non id dicimus, quod eſſet ſummæ arrogan-
tiæ, Dionyſium digniorem eſſe amicitia & affinitate
tua quam cæteros, qui ad eandem contendant, ſed
illud tantum admonemus, vt cogites & conſide-
res cum animo tuo, alios quantumuis nobiles &
excel-

excellentes viros prius non poſſe, quam tempora hunc non ſperare, ſed gubernare regnū, non ſucceſſurum patri, ſed ſucceſſiſſe. Vt filia tua, quam tu meritò vnicè amas, Dionyſio deſponſa ſit, antequam domo proficiſcatur, reginæ nomen adepta ſit, alijs nupta, verùm aliquando hac appellatione fruitura ſit, non iniuria dubitare poſſis. Tu itaque potentiſſime, qua ſoles prudentia omnium circumſpice, & ſtatue, in longinquaſne terras malis filiam cariſſimam incertaſque mittere, an ſtatim in Hiſpania tanquam domi tuæ videre regnantem. Hoc vnum tibi pollicemur, eam eſſe Dionyſij non iam indolem, ſed virtutem, eam prudentiam, moderationem, liberalitatem, pietatem, eam op[illegible] magnificentiam, vt te ſemper & nos vidiſſe, & illum tibi generum noua neceſſitudine adiunxiſſe delectet. Nos certè vniuerſumque populum Luſitanum, ſi noſtram gratiam aſpernatus non eris, magno & immortali beneficio tibi, ac tuis in perpetuum obligaris. Hæc oratio valde dubium fecit animum Regis. Nam & filiam diutius retineri non poſſe videbat, vt optabat, & in tanta trium Regum gloria, moleſtitatis & difficilis electio proponebatur, periculumque erat, ne vni habitum honorem cæteri ſuam iniuriam putarent. Verùm quo diligentius rem conſiderabat, eo magis in Luſitanos inclinabat animus. Britannum & Neapolitanum regnaturos, Dionyſium iam regnare cognorat: Illos, cum affinitate cognatione iuncti Eliſabetæ nuptijs, niſi Pontificis maximi autoritas interponeretur, religione prohiberi: hunc licet coniunctum ſanguine, cum eſſet iam alienior (quippe Aldonſa Dionyſij proauia filia fuerat Raimundi Berengarij atavi Eliſabetæ,

& Al-

& Alphonſus decimus rex Caſtellæ, quamuis Petri ſororem Violantiam coniugem haberet, Beatricem Dionyſij matrem aliunde ſuſceperat) nulla re impediri, quominus eam habere poſſet vxorem. Quare etiam ſi patrius amor illam diſtractionem ægerrimè ferebat, Britannos, Galloſque cum bona gratia dimiſit, accerſit Luſitanos, ſibi placere ait, quando vitari non poſſet illa tantoperè reformidata diſiunctio, Dionyſio filiam ſuam collocare. Arbitrari talis Regis coniunctione non eximium lumen ſuis, & maiorum ſuorum ornamentis acceſſurum. Agunt illi verbis ampliſſimis, vt res tanta poſtulabat, ſuo Regiſque nomine, Petro gratias, omnia fauſta & felicia precati. Eliſabeta etiamſi à ſtudio nubendi abhorreret, tamen vt fuerat ſemper dicto audiens patri, ſic in ea re volenti ac iubenti morem geſſit. Ioãnes Vellius, quem nominatim Dionyſius ad id munus obeundum deſignarat, lectiſſimam probatiſſimamque virginem frequentiſſimo conuentu, Regio apparatu, nomine Regis accepit vxorem, & conſtituta die, ad quã diem Regina in Luſitaniam ad virum duceretur, legati domum reuerterunt, (hoc enim ab hiſtoriographis regijs traditum veriſimilius eſt, quam eos virginis aduentum expectaſſe) vt omnia, quæ magnificentia regalis in tanta lætitia totius regni deſiderabat, ad Eliſabetæ aduentum compararentur. Quanquam enim patri chariſſimam eſſe perſpexerant, & nonnihil timebant, vt poſt ſuum abitum paterno amore victus, ſententiam mutaret; tamen Regem talem nunquam commiſſurum eſſe credebant, vt, in re præſertim honorifica, fidem ſibi datam violaret. Sed quoniã harum rerum memoriam ſic obſcurauit vetuſtas, vt prope nullam teneamus; neceſſe erit de Britanniæ Siciliæque

ciliiſque regibus, & eorum cum Eliſabetha cognatio-
ne pauca dicere, ad eas illuſtrandas. Britannorum re-
gem, qui per legatos Eliſabetam filio ſuo regi futuro
petebat vxorem, Henricum fuiſſe tertium, filium autem
cui petebat, Eduardum, qui poſtea cum Alfonſo Petri
ſucceſſore egit, vt Carolus Claudus datis obſidibus
dimitteretur. Eius mater Leonora filia fuit Raimundi
Berengarij Comitis Prouinciæ, Raimundus & Iaco-
bus Eliſabethæ auus Patrueles. Ex quo perſpicuum
eſt quarto gradu cognationis Eduardum & Eliſabe-tam
inter ſe fuiſſe coniunctos, niſi qua alia [illegible]
tatis neceſſitudo interiore eos inter ipſos [illegible] propin-
re ſanguinis communione copulauit. Qui Eduardum
ſcripſerunt fuiſſe filium ſororis Alfonſi decimi re-
gis Caſtellæ, quid ſecuti ſint non video, niſi forte [illegible]
as Henricum vxores habuiſſe voluit. Quo [illegible],
quo pacto Britannus adoleſcens ea cognatione [illegible]
gonium nomen attingeret, vt Eliſabetam ei ducere
non liceret, compertum non habeo: tantum intelli-
go ex affinitatibus, quibus reges Hiſpaniæ crebro ſe
cum omnibus regibus deuinciebāt, eam tantam col-
ligationem propinquitatis oriri potuiſſe. Caroli ve-
ro Siciliæ reges fuerunt plures, vnus S. Ludouici Re-
gis Gallorum frater, qui Manfredum & Conradinum
armis vicit. Alter eius filius Regis Pannoniæ Gener,
cognomento Claudus perhibetur, quem ab Arago-
nijs bello Siculo captum, & poſt mortem Petri regis
ab Alfonſo filio è carcere emiſſum eſſe diximus. Ter-
tius huius filius cognomento Martellus, qui poſt aui
obitum, cum per ſe [illegible] non poſſet, per tutores quā-
diu pater fuit in carcere, regnauit, & poſt eius redi-
tum Pannoniæ regnum obtinuit, materno iure. Pri-
mus non habuit alium filium, niſi Carolum ſecundum.

Secundus

Secundus multos habuiſſe fertur; Carolum Martellum natu maximum; Ludouicum, quem ex familia Sancti Franciſci, cui ſe pietatis cauſa tradiderat in ſeruitutem voluntariam, electum Toloſatium Epiſcopum, ſummus Pontifex Ioannes viceſimus ſecundus, poſt diſceſſum e vita in Romanos faſtos relatum, in cæleſtium numerum aſcripſit: Tertium Robertum Calabriæ ducem, qui quoniam Carolo patri Pannoniæ regnum delatum erat, & Ludouicus res humanas deſpexerat, patri ſucceſſit. Præterea quidam obſcuriores. Quantū igitur ex antiquiſſimis literis intelligere potui, Carolus Claudus nōdū rex appellatus, ſed futurus tamē, viuo patre Carolo, bello Siculo nondum exorto quidem ſed iam impendēte, per legatos Eliſabetam petijt filio. Nunquam enim ille regium nomen adeptus eſt, niſi vinculis ſolutus poſt mortem Petri. Nec verò Claudus Roberto petijt, ſed Carolo Martello, quippe cum repugnet petijſſe filio natu maximo, & Roberto. Nam vt Carolus primus eā Claudo principi Salernitano peteret, nullo modo potuiſſe fieri videtur, propterea quod ille iam ab initio belli Siculi, quod Eliſabetæ nuptias proximè ſecutum eſt, tres nimirum filios haberet ex Maria filia Stephani Pannonij regis progenitos, Carolum Martellum, Ludouicum, Robertū. Sed multo poſt Iacobus rex Eliſabetæ frater pacatis iam rebus cum Pōt. Maximum adijſſet, Violantam alterā ſororem Roberto regi quibus diximus de cauſis futuro collocauit. Atque hoc fortaſſe fefellit illius autorem hiſtoriæ, quicunque fuit, quæ vetuſtate veneranda, verbis inculta atque horrida Conimbricæ, in æde S. Claræ ſeruatur. Quod enim Robertum in locum patris demortui ſubrogatum acceperat, exiſtimauit hunc illi pri-

mum

mum fuiſſe geminum, eidemque nobilitatam, credidit
Eliſabetam, cui poſtea ſoror Violantis nupſiſſet. Verũ
& Marſello & Roberto duplex intercedebat cum E-
liſabeta neceſſitudo. Paterna longinquior atque di-
ſtractior, quam vt poſſet obſtare matrimonio, mater-
na propior & arctior ab affinitate profecta Pannonio-
rum regũ. Nam Blanca S. Ludouici & primi Caroli
mater, proneptis fuit Alfonſi nobilis Caſtel-
læ regis, cuius filiã Sanctiam Alfonſus Aragonius ab-
auus Eliſabetæ duxerat: Stephanus verò Marſelli, &
Roberti maternus auus, conſobrinus fuit Petri patris
Eliſabetæ, ambo nepotes Andreæ ſecundi Pannonio-
rum regis. Petrus ex filia Violantia, Stephanus ex fi-
lio [illegible] hærede regni. Itaque Eliſabeta Mariã ado-
leſcentium matrem tertio gradu propinquitatis at-
tingebat. Quod ſi quis fortè miratur in tam diſiuncta
propinquitate Britannorũ & Siciliorũ regum veniã
eſſe Petrum, vt a Pontifice Max. impetraret; is cogitet
multò ſanctiora illis temporibus optimis fuiſſe a-
pud omnes humana iura, longè maiorem ſummorũ
Pontificum ſeueritatem etiam in reges. Ac ne alios
enumerem, quibus non proxima cognatione ſangui-
nis olim fuerunt negata coniugia; Iacobus ipſe Eliſa-
betæ auus cum Leonora filia Alfonſi regis
Caſtellæ, quæ filium iam vnum illi pepererat, fece-
rat iuſſu Pontificis maximi diuortium, quod Petrus
ipſius Pater amitinus fuiſſet Alfonſo. Cæterum
de rebus vetuſtate obrutis hæc ſcripſiſſe ſit ſatis,
quaſi diuinantes. Nunc eò redeamus, vnde digreſ-
ſi ſumus. Poſt Segurium profectionem tempore
iam appetente, quo Eliſabetam ad virum mitti neceſ-
ſe erat, rex comites ſeſe comparare iuſſit. Fortè
ardebat eo tempore Caſtella, quæ pars eſt Hiſpaniæ
Tarraco-

Tarraconenſis multo maxima, ciuili bello graui & periculoſo. Alfonſus enim rex hoc non nunc [illegible], quo cum erat Violante Petri ſoror, filium præter alios habebat Sanctium: ex Ferdinando hærede regni, qui iam exceſſerat e vita, nepotes duos Alfonſum & Ferdinandum, quo auita regna Caſtellę atque Legionis, ad Alfonſum natu maiorem pertinere videbantur, cùm quia nepos erat regis ex filio natu maximo, tum ~~&, quia~~ ita cùm Alfonſo auo pactus erat S. Ludouicus Galliæ rex, quando Blancam filiam ſuam Ferdinando pueri patri collocauit. Sed tamen Sāctius patruus Alfonſi morte fratris ad ſe regna patria rediiſſe ratus, plurimoſque nactus non hortatores modo, verum etiam adiutores, vt antea iam ſuum filio fratris eripuerat abſente patre, ſic tum parentē ſuū pręſentem ætate graui & affecta, Alfonſo nepoti, quadā ex parte [illegible]entē depoſſeſſione deiecerat. In hac diſſenſione tanta non licuit Aragonio nullius eſſe partis, quamuis [illegible] vtrobique cognatos. Probauit maxime cauſam Sanctij ſui ſororis, eumque ſummo ſtudio, [illegible] defendebat. [illegible] res magnum metum afferebat, [illegible] ad virum Eliſabetę mitteretur, ne rex Alfonſus [illegible] armis impediret, quod multi ex [illegible] locuti, hoc conſilij dederunt Petro, vt [illegible] claſſe ornata & inſtructa, iuberet in Luſitaniam vſque deportari. Paratæ iam naues erant, & quicquid ad maritimum curſum deſiderabatur, cùm ſubito mutata mente imperat præparari quæcunque ad terreſtre iter, præſertim tam longum eſſent vel neceſſaria vel opportuna. Quæ res ei cauſam attulerit animi mutandi, non traditur. Mirum namque eſt, quam manca & mutila ſint in hoc loco vetuſtiſſima monimenta literarum. Fortaſſe poſtea & illam rati-

onem

nem periculoſum eſſe propter graſſantes Saracenos, & iſtam præſidio Sanctii auunculi ſui tutam iter poſſe facere, cogitauit. Igitur ſpectatiſſimo conſtantiſſimo conſilio, [illegible] ducem Pontificem Valentinum (poſtea Archiepiſcopus appellatum) addit cohortem ingentem nobilium Virorum, magno, vt illis temporibus, omnium rerum apparatu. Illi quam multas honeſtiſſimas mulieres, nobiliſſimaſque virgines non vt modo ſocias, verùm [illegible] nuptiis ſuæ donauit ipſe, multa mater Conſtantia ornamenta eidem, monilia, multa etiam [illegible] pretii: præter cæteram ſupellectilem elegantiore ex [illegible] bene facta, nonnulla extam cælata magnificè. Tandem proficiſcentem Petrus filiam ſuam ob indulgentiam ſingularem quam longiſſimè ab vrbe proſequens, qui lachrymans ſæpè diceret, neminem vnquam magis intelligendi conſilium defuiſſe, quam ſibi, cum à ſe ablata fuerit in perpetuum rem omnium ex omnibus cariſſimam, & precioſiſſimam. Ventum erat ad Caſtellæ fines, & cum fas ei non eſſet longius procedere, diu cum Eliſabetha, remotis arbitris locutus eſt, eam deinde complexus cum lachrymis paternis teneret non poſſet, ille antea munitus animis, filia, inquit, quæ nos relinquis & patriam, migras in alias terras, quamuis cum viro præſtante, inter alienos tamen victura & ignotos. Magno conſilio opus eſt, vt omnium tibi mentes concilies, omnium gratiam & beneuolentiam adiungas. Sed ego, cum in omnibus rebus ingenium tuum [illegible], vel præceptis vel admonitis non arbitror indigere. Ille Deus optimus maximus, qui te occulto quodam conſilio, atque recondito ad has nuptias reſeruauit, & elegit, is

dominæ reginæ nomen adipiſceretur, ſuo numine; ac poteſtate tueatur in hoc itinere ſuſcepto, & incolumem perduci patiatur ad virum. Ille te hic in patria ſemper amauit, ille te omnibus amabilem reddidit atque gratioſam; ipſe migrationem hanc fauſtam & felicem velit eſſe, vbique adſit perpetuo in illis oris: ipſe tuam vitam omnem moderetur & regat, vt omnibus hominibus grata ſis, ipſi gratior; & faxit vt interea vterque tuum optime conueniat vſque ad extremam ſenectutem. Hæc locutus flens flentem dimiſit, patrioque more ac ritu bene precatus abeunti, triſtis ac mœrens rediit in vrbem. At Eliſabethæ Caſtellæ fines ingredienti Sanctius amitinus ſuus proceſſit obuiam cum Iacobo fratre: excepit eam perhumaniter, & perofficioſe, vti par erat, cum omni comitatu: deinde, Equidem inquit, non ſolum libens, ſed etiam lætus atque hilaris ad vltimos vſque Caſtellanos, & Legionenſes te proſequerer, Regina, ſi liceret: hoc [illegible] [illegible] propinqui iura poſtulabant: ita de me etiam meritus eſt fortiſſimus pater tuus, vt ego pro tanto ſtudio & opera, quam is mihi nauauit in hoc bello, nunquam parem gratiam poſſim referre. Verum quantum [illegible] regnum non ignoras: meæ me-[illegible] nuſquam, ſed ne oculos quidem tuum poſſum deflectere. Adeſt Iacobus frater meus, cui etiam ſalutem atque dignitatem non minus charam eſſe ſcio, quam mihi; ipſe tibi erit in hoc itinere tuo non ingratus comes, tum non contemnendus defenſor. Ego quanquam in hoc ſibi, vt vellem gratificari non poſſum, tamen ſiquid acciderit aliquando, vt meam operam requiras, pro-

fecto

[illegible] ut [illegible] se illu-
[illegible] atque [illegible], [illegible] nos.
Sic Elisabetam Sanctam [illegible] ac [illegible]
[illegible], honorificentius [illegible] frequenti [illegible]
[illegible] susceptam in Lusitaniam [illegible]. Au-
xit Dionysius ad extremum [illegible] suis [illegible]
[illegible] apud Alfonsum [illegible] S. C[illegible]
Gonsalum [illegible] virum, [illegible]
[illegible], magnæ equestri, ac pedestri [illegible],
qui [illegible] adventum [illegible] dum Iaco-
bus [illegible] Fran-
ciscum: ubi Rex [illegible] sponsam [illegible]
[illegible]. Oppidum id est Medobrigam tamen in Lusi-
tania [illegible] Romanis [illegible]
[illegible], sed nostra parum, [illegible]
apud [illegible] nostros non obscurum. [illegible] octo
fere millia passuum à fluvio Monda, Conimbri-
ca circiter octoginta octo millia, a Castellæ fini-
bus ad viginti octo: situm, non in monte quidem,
sed in loco eminente & excelso, ab radicibus eius
montis, quem Stellæ vocant accolæ, nonnulli vi-
ri docti partem Idubedæ esse volunt, altius assur-
gente terra, pulcherrimo prospectu in omnes par-
tes: habet circum se campos non longe, [illegible]
que patentium, mœnia præclara ad speciem lapide
quadrato ædificata in orbem, quatuor decim turri-
bus [illegible] latis & excelsis, [illegible]
[illegible] & [illegible]
sublime est quinque magnis turribus quadratis, in-
genti [illegible], circiter mille passus à mœ-
nibus, [illegible] ferro, [illegible]
[illegible] magna pabuli copia, [illegible], in quo
etiam stagno, [illegible] manufacti fontes lapide

 polito

polito, æquo bono & iure [illegible] [illegible] oppidum
[illegible] & bellicoſi, equitandi ſtudiis præci-
pue [illegible]. Illi [illegible] menſe anno M. CC LX-
XXII. a Chriſto nato, qui eidem anno VII. cal. Ian.
[illegible] [illegible] [illegible] Gallum ſtrenuitatem ad
equeſtre [illegible] [illegible] promouerant, ſolem-
ni cum ceremonia maximo virorum mulierum-
que conuentu argento, auro, ſerico, omni appara-
tu ornatuque viſendo, ludorum & epularum ma-
gnificentia, [illegible] [illegible] Regiæ maieſtati [illegible]
rabat, fuit celebratæ nuptiæ: quibus rite perfe-
ctis, conceſſit rex vxori ſuæ, vt ſub antiquum re-
gum mos & conſuetudo fert, complures ciuitates
attribuit in ſumptum, & honeſtiſſimos viros ſeor-
ſum eius familiæ regendæ gubernandæque præfe-
cit. Neque Deus puellæ nobiliſſimæ fœminæ matrimo-
nij fructum denegauit. Decimum ſeptimum agebat
annum, cum peperit Conſtantiam. Deinde vix uno
ſuæ [illegible] [illegible] ab ortu Chriſti M. CC XC.
[illegible] [illegible] cum eſſet Conimbricæ, Alfonſum
[illegible] [illegible] regni. Verum Eliſabetha cum
virgo [illegible] [illegible] diuinis [illegible], poſt
nuptias nihilo [illegible] ſegnior ad laborem, neque
[illegible] regiaque dignitas excuſationem at-
que ignauiæ, [illegible] liberalitati & beneficentiæ ma-
[illegible] [illegible]. Laborabat illa quidem vti neceſſe
eſſe videbat, ne vnquam viro diſpliceret, vt eum o-
mnibus officiis ſuauiſſimè ac diligentiſſime cole-
bat, ſed multo diligentius operam dabat, vt omnia
quæ faceret, diceret, cogitaret, Deo optimo maximo,
cui ſe [illegible] deſponſam eſſe ſciebat, grata eſſent;
& iucunda ea prudentia familiam regebat, vt non
puella ſedecim annorum, ſed anus grauiſſima
& ſa-

& ſapientiſſima iudicarentur. [illegible] erat ut cum omnium [illegible] eum [illegible] tum dignitate principem, [illegible] eſſe viderent. Commune [illegible] ſolebat, [illegible] ad regnandum [illegible] uellet, ſed ad ſalutem regni conſeruandam diuinitus donari putaretur. Manſuetudinem [illegible] præſeferebat, [illegible] ut nulla [illegible] pars ne ſpeciem quidem ſuperbiæ & arrogantiæ adumbratam aliquam haberet. Denique ſic mores rationeſque [illegible], ut facile appareret, [illegible] eum imperare antiquiſſimæ nobiliſſimæque genti, quam illi [illegible] Dei uelle ſeruire. [illegible] que tempus, quantum [illegible] & neceſſaria quieti, in rebus honeſtiſſimis [illegible] bat. Quotidie [illegible] & ſolennes Eccleſiæ precationes, & quas Mariæ virgini Chriſti parenti publice eiuſdem ritus conſecrauit. Adiungebat & funebres pro mortuis, ſeptemque pſalmos pœnitentiæ, & complurium ex cælitibus memoriam breui precatione proſequebatur: quos præ cæteris eximia quadam venerabatur pietate. Vbicunque terrarum verſaretur, ſacellum habebat religioſe ac magnifice ornatum, multoſque ſacerdotes & ſymphoniacos, atque [illegible] quibus diuinas pro tempore [illegible], ſolenni cantu, regali apparatu celebrarent, [illegible] ſingulis diebus [illegible] non ſolum [illegible] rum [illegible] ad [illegible] Apoſtolorum, [illegible]

[illegible]

que procumbens oſculanſque manus, ſacerdoti certam pecuniam offerebat multò maiorem, quàm minorem, vt dici ratio poſtulare videretur. nec ſibi regiæ turpe eſſe ducebat, quod his miſeris temporibus quæuis muliercula probroſum & ignominioſum putat. Videlicet non dignitas & amplitudo, ſed ſtulta quædam hominum opinio ſanctiſſimis Eccleſiæ moribus aduerſatur. Pomeridiano tempore redibat ad veſpertinas precationes, quas ei, prout conſuetudo ſacrorum requirebat, ſiue ſacerdotes vel ſubmiſſa voce recitabant, vel ſymphonia atque cantu peragebant. Legebat interdum libellos de pietate conſcriptos: in quo ſic afficiebatur nonnunquam, ſic commouebatur animo; vt ne alijs quidem præſentibus lachrymas & fletum contineret. Reliquum diei tempus in opere & labore conſumebat, ne animus otio diffluens ea meditaretur, vt ſolet, quæ parum bonis moribus conueniunt. Diuidebat æquabiliter ſuis ancillis atque virginibus opera, & ipſa more regio ſedens in ſubtili ſtamine margaritas inſerebat: multa ex auro, ex argento multa, multa ex bombycino faciebat, ac ne otioſi dum laborarent manus, [illegible] volitaret, neve ſermones parum vtiles inſtituerentur, ipſa opera ſemper cum ſuis ancillis, ſocijs [illegible] de rebus non ſolum honeſtis, ſed etiam pijs & fructuoſis colloquebatur. Atque hæc quidem erant quotidiana. Illa valdè rara nobis, Eliſabetæ frequentiſſima atque præclara. A ferijs Sancti Ioannis Baptiſtæ ad ferias ſacroſanctæ virginis Mariæ quæ XVIII. cal. ſept. celebrantur, & inde rurſus vſque ad diem feſtum atque ſolennem Sancti Mi-

Michaelis archangeli, quod ieiunium Angelorum vocant: præterea toto tempore aduentus Chriſti Domini & ieiunii quadrageſimalis: toto reliquo tempore anni trinis hebdomadæ cuiuſque diebus, & pridie ferias omnium Apoſtolorum ac beatiſſimæ virginis Mariæ, aliorumque beatorum, quos illa præcipuo quodam ſtudio colebat, præter panem & aquam nihil adhibebat ad victum: vt vix quarta anni pars hoc tam difficili ieiunio (ſi difficile eſt appellandum, quod illa ad perdomandas corporis cupiditates libentiſſimo animo ſuſcepit) atque hac tam incredibili abſtinentia careret. Quod niſi Dionyſius obſtitiſſet, cuius illa voluntati in omnibus rebus honeſtis, vt bonam matronam decet, facile parebat, nullum fortaſſe anni tempus prætermiſiſſet: nec minus hæc oto-ridiana quam illa, de quibus ante diximus, fuiſſent. Quo quidem facto, neque ieiunij actum non abſtinentiæ laudem amiſit, ſed ad hanc, quæ maxima eſt, aliam obedientiæ longè maiorem adiunxit: quippe vt hominibus diuino amore flagrantibus à cibis abſtinere iucundum eſt, ſic alijs bene monentibus obtemperare non eſt graue neque moleſtum. Hæc quæſo conſiderent, qui vel ob quamuis leuiſſimam cauſam ieiunia ab Eccleſia indicta facile prætereunt: vel aliorum conſilia & admonitiones, quibus oporteret eos eſſe dicto audientes, ſuperbè aſpernantur: vel antiquiſſimam & ſanctiſſimam conſuetudinem populi Chriſtiani, & maximè [illegible] maiorum diſciplinam nimis contumaciter ſpreuantque repudiant. Illud quoque mihi ſingularis continentiæ videtur, quod cum vinum

bibere non ſoleret; ne tum quidem cum ratio ſalutis poſtularet, & medici iuberent, eo vteretur: non aliquo naturæ faſtidio, quod multis ſæpe contingit, ſed perpetua quadam & conſtanti voluntate. In quo breuiter narrabo quid euenerit aliquando, vt omnes intelligant quam grata Deo fuerit hæc Eliſabetæ in victu continentia. Quodam tempore cum eſſet Ierabricæ, quod oppidum magnum & copioſum in agro Olyſſipponenſi viginti octo millibus paſſuum ab vrbe, (Alanquerium modo nominatur) infirma & perdita valetudine, præſcripſerunt illius medici, quod videbant deſiderare morbi genus, vt modicum vinum adhiberet. Illa, ſentiens tamen nec ſibi expedire, nec ad curationem valetudinis eſſe neceſſarium, dixit ſe non eſſe facturam. Mirum eſt ſane, quod dicam, ſed nec difficile Deo nec inuſitatum, qui iam olim in Galilæa cum nuptijs intereſſet, aquam in vinum optimum & ſuauiſſimum commutauit, & ad commendandam medicorum operam & artem [illegible] vaſculum aquæ ſimile [illegible] aqua ſubito eſt in vinum diuina voluntate conuerſa. Non patitur ille, qui falli non poteſt, diutius in errore verſari quos amat; & cum aliqua ſimulata ſpecie virtutis deceptos eſſe videt, ſolet etiam mirabilibus & nouis interdum liberare opinione falſa, & in his tantis tamen tenebris clariſſimum ſapientiæ ſuæ lumen oſtendit. Iam verò religione excelluit ſupra quam cuique credibile eſt. Omnia templa præcipua ſanctitate vbicumque eſſent, in quibus viros eſſe aliquos, aut mulieres integritate morum inſignes auditione accepiſſet; ipſa ſæpe viſebat, nec tam

eorum

etiam pauperibus quantum largiebatur, & quicquid ei ad cultum atque victum neceſſarium, eſſe cognouiſſet, liberaliſſime ſuppeditabat: expiabat crimina frequenter, & aſſidua ac diligenti confeſſione omnes animi labes, & maculas eluebat: tribuſque anni temporibus, quod veteris ſummum ſuæ inſtitutum Eccleſiæ, ſanctiſſimum Chriſti corpus humiliter, ſed admirabile ipſa ſentiens, cantica quædam ... ſumebat, die natali Chriſti ... & quo ... genere aſſumptus e ſepulchro ... & quo ... tum ſanctum, ad confirmandos ſuorum animos relictus demiſſo, ſæpius, vt ego arbitror, illis temporibus, ſed abſtinebat tamen, non illa negligentia, vt plerique noſtrum, aut aliqua ſatietate rerum bonarum, ſed tunc temporis ſentiens, tum mulieris ſanctitatem conſiderans, tum indignitatem ſuam agnoſcens, eo videlicet animo, quo S. Petrus cum in præſentia Chriſti conſuetudine ſua vehementer optaret, cum aliquando ſupplex orauit, vt a ſe diſcederet. Quod ſi quis imitari ſe velle dixerit, & tam ſanctiſſimæ reginæ nomen ignauiæ ſuæ atque ſocordiæ prætendere conabitur, confiteatur tam crebro, quam illa, de peccatis, viuat eadem temperantia, præſtet eandem in omnibus rebus pietatem atque patientiam: tum ei facile fortaſſe concedemus, vt eadem mente, qua illa, paulo rarius caput extollens & ſalutarem cibum; & quantum neceſſario ſuggerimus hunc locum his temporibus eſſe neceſſarium, certe non præteriiſſem ſilentio, quod illa venerabilis ... faciliſſima ... faciebat, neque prius commemoraſſem eorum religionem tantis tenebris obliuionis obrui, ſi quo modo conſequi poſſim, vt non tam ſalutare conſilium, tam neceſſarium in hominum mentibus & animis penitus in-

ſuerunt. Audiebam majores noſtros modica perſonis, pauciſque opibus, parva manu, claſſibus non maximis, innumerabiles Saracenorum pedeſtres, equeſtres, navaleſque copias fudiſſe, urbes munitiſſimas & arces vi obſidioneque cepiſſe, univerſam Hiſpaniam, quam nobis pacatam & florentem reliquerunt, ex faucibus teterrimorum hoſtium eripuiſſe, & conſervatam in veterem libertatem, ac dignitatem vindicaſſe: multa reges ipſos, multa duces, multa milites ſingularia, & incredibilia facinora feciſſe. Mirabar, quæ res illis in tanta paucitate & inopia, tantum animi & roboris adjiceret. Repperi tandem, quod me omni admiratione liberaret; nam vir quidam ſane prudens & diſertus, qui vitam rerumque geſtas Luſitanorum regum, quantum illa tempora ferebant, copioſe ornateque conſcripſit, ſe in antiquiſſimis literarum monumentis ſumma fide, & auctoritate legiſſe confirmat, in caſtellis, & propugnaculis, quæ oppoſita & objecta eſſent barbaris illis & immaniſſimis nationibus, præſidia fuiſſe equitum lectiſſimorum, qui & legem diuinam religioſiſſime ſervarent, & veram Eccleſiæ Romanæ univerſæ fidem conſtantiſſime colerent, & a furtis, rapinis, effrenatis libidinibus penitus abhorrerent, & pro peccatis admiſſis quæ ſe ſponte ſua frequenti longoque jejunio, aliiſque pœnis moleſtis & gravibus vexarent, & omnibus dominicis, feſtiſque diebus perpurgatis & præparatis confeſſione animis ad ſacram ſynaxim accederent: nec dubium eſſe putat, & quidem merito, quin ea res poiſſimum divino numine non placato ſolum, verumetiam conciliato, & promerita ſit auxilia cœleſtia.

feſſa, & victoriæ propter Dei numen, tam in-ſignes, tam inopinatas. Idem ego memini aliquan-do legere in hiſtoria peruetuſta Caſtellanorum re-gum, Cum Hiſpani reges Alphonſus Caſtellanus, Petrus Aragonius, Sanctius Nauarra, quo pugnam illam acerrimam ad ſaltum Caſtulonenſem ſum-ma contentione feliciſſime eſſent pugnaturi cum hoſte ferociſſimo, diligentes copiis omnibus cum exercitu ... pane ... ac multis poſt annis Alphonſus cognomento Ca-ſtellæ rex, & Alphonſus quartus Luſitaniæ rex foret, in illo magno & formidabili bello, quod geſſerunt aduerſus Albohacenum vtriuſque Mauri-taniæ, & Ioſephum Granatæ regem, qui perma-gnis exercitibus & opulentis ex Arabia, Africa, Hiſpania comparatis, veterem Hiſpaniæ poſſeſ-ſionem, vnde fuerant depulſi, repetebant, priuſ-quam illud memorabile prælium ad Salſum (non enim certum eſt veriſſimum nomen) prope Ta-riffam oppidum in ipſo oſtio freti Gadita-ni ſitum, quod illi obſederant, committeretur, & ipſi ſua crimina confeſſi ſunt, & vt omnes milites idem facerent edixerunt, omneſque pari-ter, quo die pugnatum eſt, ante lucem cum Archi-epiſcopus Toletanus rem diuinam publicè feciſ-ſet, & concione plena animi, plena pietatis, ple-na doloris vniuerſum exercitum ad oppetendam pro religione mortem inflammaſſet, ſacroſancto pane animos confirmarunt: & Luſitanus ante ſigna regis, ſanctæ Crucis CHRISTI particulam præferri, bello præſidium, iuſſerunt. Sic quum nomen noſtrum quartam hoſtium partem non aſſequeremur, tantam victoriam adepti ſunt,

quan-

quantam neque vidimus vnquam, neque legimus,
nec audiuimus. Vt nonnulli volunt, centum, et alij
tradiderunt, quadringenta quinquaginta millia Sara-
cenorum cæſa ſunt, vix de Chriſtianis viginti occide-
runt, vxores Alboazeni captæ, omnis ferè barbaries
diſiecta. Deliciæ profectò, atque luxuries frangunt
Romanorum opes, & effœminata priſtina virtute
ciuitatem dominam terrarum perdidere: eæ-
dem peſtes quaſi venenis mollitudinis noſtros ho-
mines eneruant, non ſolùm religioſos: & quon-
dam ſceleribus ac flagitijs omnes notos admiſſione
diuinæ miſericordiæ præcluſit. Nos iam ad religio-
nem Eliſabethæ reuertamur. Quadrageſimo ieiunio
omnibus ſextis ferijs tredecim viros inopes Ele-
phantiaſi confectos conuocandos, & in ſuas ædes oc-
culte curabat deducendos. Lauabat eis pedes, & hoc
incredibili officio recreatos, ipſa auctos, & ornatos
abire iubebat. Numerum certum iſtum ſi quis forte re-
quirat curioſus, non dubitabo affirmare, licet ſine
auctore ſcriptum inuenerim, ideo tredecim ſoli-
tos vocari, quod hic numerus imaginem quandam
illius ſanctiſſimi Collegij Chriſti hominum libera-
toris, & duodecim Apoſtolorum exprimebat. Die
verò Iouis eccleſiæ vniuerſæ religione conſecrato,
quo ſanctiſſima ceremonia more inſtitutoque ma-
iorum ſ[illegible] memoria ſuprema Chriſti cœnæ
renouatur, mulieres aliquot [illegible] affectas morbis
clam ad ſe duci imperabat, abluebat omnibus pedes,
abſtergebat linteo, oſculabatur, veſtem nouam &
calceos præbebat. Sic non tam lætas accepto mune-
re, quam noua ſummiſſione ſtupefactas dimittebat.
Eadem die duos homines ad ſe accerſebat omnium
egentiſſimos, quos quidem reperire potuiſſet, alte-
rum

tum ſeruitutem, aliorum conditionem [illegible], cuius vſibus [illegible] principaliter [illegible], die Veneris ſanctiſſimo, & tamen magnifico, quo mors Chriſti ſaluatoris ſolenni ritu deploratur: notatu dignum, [illegible] gibus habitu [illegible] diuinis, & [illegible] liberationis memoria [illegible] atque [illegible] audiebat [illegible] animi [illegible]. Et [illegible] ma deleret, quam et [illegible] rum ſupplicium, quæ ſponte illi [illegible] capitur. [illegible] illo die [illegible] modo [illegible] tur, qui pro ſe ſanguinem ſuum & vitam profudiſſet, largè ac copioſè muneribus [illegible] pectora tanquam de ſuo ſanguine [illegible]. Aurum in huiuſmodi [illegible] aliquando [illegible], quæ apertè declararent quam accepta Deo eſſent [illegible] regina [illegible]. Die quodam Veneris [illegible], quem anno maiori [illegible] ſingulari [illegible] [illegible], erat Eliſabeta Scalabi, quod oppidum ſitum eſt ad Tagum [illegible] in Olyſipone, quod [illegible] cum [illegible] tum S. Irenes corpus, vulgo deprauatè Santarenum appellatur, collecti ſunt [illegible] Elephantiaci, & in cubiculum [illegible] ducti clanculum. [illegible] regina [illegible] benignitate [illegible], [illegible] dum [illegible] morbi vigeretur [illegible], [illegible] ſpecie [illegible]. [illegible] quidam [illegible] cox & [illegible], qui [illegible] tandem, [illegible], [illegible] pi [illegible] [illegible] [illegible] hæc

cum

cum maxime clamaret, fuſtem arripit, ac homini miſero inſanabili morbo conſumpto, cum ſe ille commouere vix poſſet, caput percuſſit ſumma vi, nonnimirâ ſeueritate. Concidit infelix homo ad pedes hac accepta plaga: iacebat mœrens, & eiulans. Et cum ei ſanguis os oculoſque compleſſet, quærebat [illegible] quid ageret, quo ſe verteret [illegible] habebat. Vidit ſtatim hanc indignitatem Virgo Veſchia mulier ſtudio religionis coniunctiſſima reginæ. Feſtinat, excurrit, quid acciderit cognoſcit. Cognoſcit Eliſabetha hominis miſeri & innocentis calamitatem. Imperat in cubiculum ſuum apportari; eò regina cæterum venit, album oui bene tritum exceptum ſtupâ vulneri ſua ipſa manibus impoſuit, datque pecuniam in ſumptus, hominem dimittit. Poſtero die, quam hæc acta fuerant, quoniam plagam grauem & periculoſam eſſe cognorat, miſit qui rogaret, vt valeret. Ille ſe ſibi eſſe optime, & cicatricem, poſt adhibitam à regina curationem, ſtatim obductam fuiſſe reſpondit. Ita malum, quod famuli regij ſæuitia fecerat, ipſius reginæ clementia, & excellens apud Deum gratia ſanauit. Sed neſcio an ſit admirandum magis, quod in genere non diſſimili alio loco & tempore contigit. Die quodam ſanctæ eius hebdomadæ, quam merito maiorem [illegible] propter myſteriorum, quæ tunc celebrantur, magnitudinem & ſanctitatem, Maiorem dici voluerunt, lauabat mulierum [illegible] laborantium pedes. Accidit, vt vna ex eo numero pedem alterum cancro prope confectum haberet, vt parum abeſſet, quin duo digiti deciderent. Eliſabetha poſtquam lauit eum, qui probe abſterſus erat (nam illum verecunda mulier

Tiei productum jocorem? nocuum [illegible] dixe-
bat, ut fama. [illegible] vestibus potius la-
teris mala; & horribilis deformatum [illegible]
gine occultabat. [illegible] 3 menses manu-
bus aliorum, ut metu [illegible] [illegible]
& [illegible], [illegible] [illegible], [illegible]
[illegible] tenere ſolebat. [illegible], & [illegible]
[illegible] minuat in pejorem? [illegible]
ſtum eſt, [illegible] [illegible]
[illegible], ut omnia [illegible] [illegible] quæ [illegible]
dam [illegible] ſit [illegible], & [illegible]
dam quidam & [illegible] [illegible],
[illegible] celebratæ & [illegible]. [illegible]
ea ſola remanſerunt, quæ tamen habent [illegible], ut
putridum [illegible] non [illegible], [illegible],
ut [illegible] ſucco [illegible] & [illegible], [illegible]
ſtatim & [illegible], et illud ſuis manibus tractare
non dubitaret: cum famula ſua [illegible]
quidem ſuſtinere potuiſſet. Accedit [illegible]
ci, plena pii doloris, procumbit ante [illegible]
[illegible], fovet calida non tam [illegible], ſed per-
petuum quiddam [illegible] & horrendum, ita [illegible]
[illegible] ac muliae [illegible] [illegible] aque [illegible],
ut [illegible] & officium [illegible] [illegible]. Denique
[illegible], cuius odor ipſi videbatur [illegible]-
bilis, abſolvit. Magnum eſt [illegible], ma-
gnum eſt [illegible] [illegible], magna & illuſtris
[illegible] [illegible] gratia [illegible]. Illud [illegible]-
rum & [illegible] [illegible], quod omnium medi-
corum operam & artem facile [illegible], omnium
Pharmacopolarum [illegible] [illegible], ſubito
eſt purgatum [illegible] [illegible] factum. Non [illegible]-
ſit primo mulier [illegible] opem [illegible] [illegible]
cum

cum nullo dolore afficeretur, vt dum produxit pe-
dem in [illegible], integrum vlcere perſanato reperit, &
poſtulata teſtata eſt, illo tempore nullum ſe crucia-
tum, nullam moleſtiam aliquando ſenſiſſe, cumque
reginæ ſubmiſſionem & pietatem erga homines an-
teponeretur, deinde vim ad ſanandum donari mira-
[illegible], & diuinitus datam in neceſſitatem. Quod ſi nul-
la alia eius in homines pie facta commemorari, &
proferri poſſent, niſi hæc quæ ſunt cum animi reli-
gione coniuncta: non expectanda tamen eius in vni-
uerſum hominum genus charitatem, & miſericor-
diam, & liber[illegible] muſterium. Sed multa ſunt
præterea, quæ [illegible] do-
[illegible] Inuiſebat ſæpe ægrotantes, pro-
pius accedebat ſine faſtidio, manus imponebat,
blandiſſime appellabat, comiter alloquebatur,
vnumquemque pro ratione, & magnitudine morbi
curari præcipiebat. Dabat non exiguum alimentum
frumenti ſingulis SS. Dominici, Franciſci, Auguſti-
ni, & Mariæ virginis Carmelitanæ familiis, quæ in
quibuſcunque Luſitaniæ partibus ſuis temporibus
erant, [illegible] pro loco, pro tempore, pro multitu-
dine opus eſſe videbat. [illegible] etiam ædibus vir-
ginum ſacrarum [illegible] large tribuebat, & vni-
uerſis cœnobiis monachorum quacunque iret, quo-
rum pleriſque certam pecuniæ ſummam quotannis
aſſignabat in veſtem. neque vero Luſitaniæ finibus
eius munificentia circumſcripta tenebatur, nec qui-
bus poteſtatem atque regnum, iiſdem pietatem re-
gina terminis definiebat. Multi religioſorum ordi-
num etiam extra Luſitaniam eius benignitatem non
mediocrem ſentiebant. Quacunque iret nemo inops
occurrebat, in quem non ſtipem illa benigne con-
ferret.

ferret. Itaque tanta iam erat apud omnes opinio de hac beneficentia; vt in templum aliquod vel in alium quemcunque locum, eadem in vrbe, ad eius atque veſtibulo imminent pauperes expectarent paſſim, & inter cæteros nonnulli aliquando varium auxilij opis indigentes. Ac regina quidem tam larga erat & benefica natura, vt quamuis infinitam multitudinem circumſtare cerneret, neminem vacuum & inanem abire pateretur. Quocunque iret, vbi magna perd eos offendebat, vbi habitare domum, eſſeque ac calceis carebat. Quos verò intelligebat præ pudore ſtipem cogere non audere, cùm egerent, ipſa ſuis fortunis adiutum non ſubleuabat ſolùm, verumetiam ſuſtentabat. Sic vbi puellas eſſe cognouiſſet, quas egeſtas poſſet impellere, vt quæſtui haberent pudicitiam ſuam, multam veſtem emendam, comparandamque curabat: tradebat alicui probæ mulieri eiuſdem vici, caſtelli, ciuitatis, cui negotium ſine periculo rectè committi poſſe credebat, vt diuideret omnibus occultè; perinde, vt videret indigentiam cuiuſque, & periculum deſiderare. multas porrò ne quod dedecus, ne qua turpitudinis macula ſuſciperetur, dote locupletatas, & ornatas honeſtiſſimè collocabat. Vbicunque mulierem aliquam, præſertim nobilem ex magna copia ad inopiam deueniſſe sciret, clam largiebatur peculiam in ſumptum. quæ cum omni tempore anni ſtudioſiſſimè, tum quadragenarij ieiunij diebus multò ſtudioſius faciebat. Nec ſolum mendicis, & egrotibus, ſed etiam permultis alijs, quæ ſuppeditarent ad victum atque cultum, ſubminiſtrabat: ſæpeque illud quod mihi ſummam benignitatem ſignificare videtur, dicere ſolebat multis, qui nullius indigentes eſſe putarentur, ſine

ſubſidium rei familiaris magis eſſe neceſſarium, quàm mendicis. Alebat domi ſuæ, habebatque ſecum honeſtiſſimorum equitum liberos & nobilium virorum, quibus matura iam ætate partim viros vel vxores dabat ſummo cum honore, partim in alio vitæ genere quodcunque magis ipſi probaviſſent, collocabat, omnibusque de ſuo quantum & hominum dignitas, & ſuſceptæ vitæ rationes flagitarent, tribuebat. Quare vulgo iam propter hanc tantam liberalitatem in omnes homines cuiuſuis ſexus, ætatis, ordinis, præſertim in eos, quos omni ſpe & humana ope videret eſſe deſtitutos, vnico eloquio mater viduarum & pupillorum dicebatur. Quamcunque Luſitaniæ partem tetigiſſet, ſi quod xenodochium, aut valetudinarium, ſi quod templum, ſi quem pontem, ſi quem aquæductum, ſi quod aliud publicum opus omnibus vtile inchoatum cerneret, ſtatim e ſuis theſauris erogari pecuniam imperabat, & ædibus præfectis fabrum, quo facilius ad exitum res perduceretur: vt nullum ædificium pietati dedicatum, nullum commune bonum videretur eſſe velle, cuius non partem aliquam ſibi decerpere ac iure vindicare poſſet. Adijciunt miracula beneficentiæ ſingulari præſtantiſſimæ reginæ. Cùm aliquando clàm in ſinu ferret, quod pauperibus quibuſdam præberet, Regem quid occultè gereretur ſuſpicantem, ac forte non coniugem largiri miſeris nolentem, ſed regiam in eo maieſtatem retinere volentem, quæſiſſe quid portaret: Eliſabetam timentem, ne id facere prohiberetur in poſterum, reſpondiſſe, roſas: ac de improuiſo Dionyſij iuſſu explicato ſinu, quæcunque ferret, in roſas pul-

ſas pulcherrimas eſſe conuertit, neque ſtatum factum nunquam iterum impedire eſſe conatur. Fiduciam ſuam illam habuiſſe in Deo, vt quod diceret, id ſine vlla dubitatione crederet futurum. Tantum verò ſe illi geſſiſſe morem, vt non aliud ei ſuis inueniri pateretur, quam quod illa dixiſſet. Itaque certè, quod mihi quidem ætatis noſtræ mores intuenti magnum quiddam ac penè incredibile videtur, tantoperè nullum opus vaſtum, & imperfectum eſſe cupiebat, vt etiam quæ aliorum & ſumptu, & nomine fuiſſent incœpta, ſi illi non potuiſſent perficere qui cœpiſſent, ipſa conficienda, & ad culmen perducenda curaret. Habemus in hoc genere res aliquot memoria dignas, quas ordine quàm diligentiſſimè fieri poterit abſoluemus. Berengaria quædam mulier nobilis, & cognata ex antiqua ſtirpe Ariorum, coniux Arij Garciæ viri primarij, cupida bene promerendi ſex millia paſſuum à Scalabi Oliſiponem verſus, ædificare cœpit virginibus Ciſtertienſibus Parthenonem, quod Almoſterium vulgò nominatur. Nondum erat perfectum ædificium, cum pia mulier in morbum incidit grauiſſimum. Senſit ſe eſſe morituram: opus exædificari non poſſe videbat: Eliſabetæ, cuius animum bene cognitum habebat, commendatum, commiſſumque reliquit. Illa poſt interitum Berengariæ negotium ſuſcepit, adminiſtrauit, confecit. Periſtylium cum conclauibus ſumma & laxitate & dignitate excitauit. valetudinarium, aliaſque nonnullas ædificij partes abſoluit, ac mulieribus religione conſecratis ſuggerebat de ſuo quantum neceſſe eſſe videbat. Extat etiam nunc præclarum illud

opus, in quo præter alias mulieres non paucas ſacræ Virgines ad octoginta nigro velo amictæ, pleræque nobiliſſimo genere ortæ, hominum congreſſum, atque ſermonem fugientes religioſe, caſteque viuunt, & (quod non mediocre ornamentum eſt) vna quæ ex omni multitudine delecta cæteris præeſt, publico ritu conſecrata pontificali baculo inſignis incedit. Situm eſt in valle non inamœna, tanta copia perennium aquarum, vt eam ipſam ob cauſam, locus non ſatis ſalubris habeatur. Eſt iuxta vicus perexiguus ad quadraginta capita; hic religioſæ fœminæ præterquam vitæ, atque necis, ſummum habent ius & poteſtatem: quæ ex toto illo agro, cuius nulla pars immunis eſt, & libera, non mediocria vectigalia percipiunt. Alios præterea fructus non paruos attributos habent diuerſis locis. Mediam domum riuus non exiguus & perennis interfluit, ex quo non paucæ, neque modicæ commoditates ad domeſticos vſus capiuntur. Multa agri iugera ſepta parietibus altiſſimis ædificio adiunguntur, & continentur. Ibi plurimæ arbores fructuoſæ, & latiſſima pomaria non aſpectum modo viriditate gratum, vmbramque opacitate frigidam, verumetiam mirabilis vtilitatis fructum præbent. Templum breue quidem & anguſtum eſt: ſed in loco propè deſerto maius non requiras. Reliquæ partes ædificationis amplæ ſatis, & antiqua illa magnificentia ornatæ. Illud prorſus ſanctiſſimæ reginæ animum egregium, & excelſum, & omnia humana deſpicientem maximè declarat; quòd cum bonam ædificij partem ipſa perfeciſſet, nomen tamen conſtituti operis atque laudem Berengariæ re-

riæ reliquit. Itaque iacet illa in templo condita, in lapideo ſepulchro tanquam cerius illius parens, & ibidem eius filia Sancta alio monimento decoratur: & ipſæ etiam ſacræ virgines, quæ locum illum incoluit, quod ab Eliſabeta factum eſſe vetuſtiſſimæ literæ teſtantur, id aſcribunt regi Dionyſio. Magna ſanè res, magna laus, vel in opus alterius nomine inchoatum tantum laborem & ſumptum impendiſſe, vel ſic latere voluiſſe, vt homines ne ſuſpicentur quidem eam inſumpſiſſe quicquam. Sed multò certè maius, quod ſequitur, videtur. Fuit illis temporibus Martinus Pontifex Guardienſis, qui fuit olim Igeditanus, vir vt res ipſa indicat, publicæ vtilitatis bene ſtudioſus. Erat is forte Scalabi cum rege Dionyſio ab eo iuſſus & neceſſarijs de cauſis euocatus: Videbat pueros recens natos à parentibus vel ob inopiam, vel ob infamiam plurimos exponi: nullum eis eſſe publicè præſidium, nullum perfugium conſtitutum: niſi bonorum & locupletum hominum miſericordia ſubueniret, periculum eſſe, ne multi perirent, & parentum ſuorum, vel flagitij, vel ſceleris, vel egeſtatis pœnas iniuſtas ferrent innocentes. Quo minus exponerentur, nulla ratione impediri poſſe intelligebat: ſæpeque etiam ſi poſſet, tamen vir prudens ſciebat non oportere. Aggreſſus eſt ædificare Brephotrophium nomine Mariæ, Chriſtiparæ, & ſanctiſſimorum puerorum innocentium: vbi partus à parentibus expoſiti diligenter educarentur: ne aut inſontes pueri, priuſquam per ætatem diſpicere poſſent, vitæ periculum ſubire, aut ignominiam, iramque ſuorum, vel intolerabile paupertatis onus ſufferre coge-

rentur, qui expoſcerent. Antequam res ad exitum veniret, afflictus morbo, cum cerneret inſtare ſibi ſupremum vitæ diem, petijt vehementer & contendit à regina, vt negotium ſuſciperet, ſua fide, & autoritate, & copijs ſuſtentaret; ne tam neceſſarium opus inchoatum relinqueretur. Fecit illa animo libentiſſimo poſt Martini obitum multò etiam amplius, quam quantum fuerat ab eo poſtulatum. Nam cum Pontifex certum numerum præſcripſiſſet puerorum, quos nutriri vellet, non quod neminem illo beneficio excluſum eſſe nollet, ſed quod omnibus abunde ſuppeditare ſe non poſſe videret; Eliſabera regio quodam animo, amplo, & munifico iuſſit omnes ali, qui vnquam ibi expoſiti fuiſſent, pauperibus vero non omnibus, ſed ad numerum certum victum veſtitumque præberi. Amplificauit poſſeſſiones, auxit reditus annuos, ipſa tecta nouis ædificationibus dilatauit; vt & res, & locus omnibus, quantumuis multis ſatis eſſet. Hic ſe oblectabat, hæ [illegible] regiæ deliciæ, hæc ſumma iucunditas. Quoties in oppidum illud veniebat, omnes puerorum nutrices cum alumnis ſuis accerſebat in regiam, conſtituebat ante oculos ſuos, ipſaque accumbens omnibus de menſa mittebat, hos illa ſcurras, hos ſibilatores, hæc acroamata feſtiua adhibebat ad prandium. Vbi educati erant, & ad eam ætatem perueniebant; vt laborem ferre poſſent, opificibus erudiendos tradi imperabat, vt eam quiſque artem addiſceret, ad quam eſſet ſuapte natura propenſior. Statim, vt induſtria artificioque ſuo victum ſibi quæritare poterant, nihil ex priſtina ſua domo capiebant. Si tamen oppreſſi mor-

morbo tentatum, quo ſuccederent, pecuniam vnde alerentur, non haberent, eodem ſe recipere, ibidem ali, & curari voluit regina, donec aut è vita migrarent, aut conualeſcerent. Quoniam enim eorum parentes erant ignoti; domum illam, in qua eſſent educati miſeris & egentibus pro parentibus eſſe oportere dicebat; illuc eos cum neceſſitas vrgeret, tanquam ad matris opem confugere debere: nunc hæc domus ſublata eſt, vel potius cum cæteris eiuſdem modi, quæ vſquam erant in eodem oppido, in vnum publicum valetudinarium maximum & ampliſſimum tranſlata. Nam rex Emmanuel, quoniam id longe commodius putabat, ab Innocentio octauo ſummo Pontifice impetrauit, vt in omnibus Luſitaniæ oppidis atque caſtellis vna publica domus accipiendis & curandis pauperibus conſtitueretur, in quam omnium aliarum fructus, & beneficia traducerentur, ea lege vt omnium onera ſola ſuſtineret. Quare valetudinarium maximum vbi pauperes quouis affecti morbo ſedulo, pieque curantur, & veteris illius Brephotrophij facultatibus auctum eſt, quod ædificatum fuerat ab Eliſabeta; ſic eaſdem partes, munuſque ſuſcepit, quod per religioſiſſimos viros ſtrenue ac fideliter adminiſtratur. Veſtigia tamen etiamnum beneficentiæ regalis extant non obſcura: in ea oppidi regione quam ad Pyrum vocant oppidani, (eſt autem curiæ ſancti Stephani attributa) templum non modicum cernitur Beatæ MARIAE Virgini ac ſanctis Innocentibus conſecratum, quod olim ante armorum tumultum excitatum, rege Ferdinando con-

do monaſterium, ad Portam Leirenſem extra mœnia Brephotrophium Innocentium appellabatur. Ibi quotidie fiunt duo ſacrificia per Curiales ſancti Stephani ſacerdotes, quibus valetudinarij maximi curatores ſtipendia ſua penſitant; & ferijs ipſis SS. Innocentium quæ Decembri extremo celebrantur, res diuina peragitur, maiore quodam apparatu, concio habetur ex omnibus non oppidi modo partibus, ſed etiam finitimis vicis atque pagis magna multitudo hominum loci religione commota, partim venerandi, partim aliquid poſcendi, partim gratulandi gratia concurrit. Quæruntur famuli ſancti Ioannis Euangeliſtæ, egregia pietate, ac religione viri, quibus eſt valetudinarij publici Scalabitani procuratio commiſſa, tantos antiqui Brephotrophij nomine ſumptus fieri, præſertim cùm accepta pecunia vix ſufficiat ſtipendijs ſacerdotum. Ego Reginam, cùm tam multa onera imponeret, ingentes pecunias aſſignaſſe arbitror, vt illis temporibus, ſed in hac tanta caritate nihil ſatis eſſe poſſe. Verum hæc à primis autoribus rogata ſuſcepit, etiam-diù à nemine rogata ſua ſponte vehementer amplificauit. Illud dicamus quod ab aliis tentatum interuentu mortis impeditum, atque diremptum, nullius rogatu reginæ diligentia, pietate, benignitate longè maius & ornatius reſtitutum non mediocre lumen attulit ciuitati Conimbricenſi. Vallis eſt bene longa, & amœna inter occidentem ſolem & ſeptentriones patens, quæ hinc & illinc ſepta collibus fructuoſis, partim vinetis æſtate, partim oliuetis viret omni tempore anni, & varios Mæandros habet atque flexiones. Nam modò in occaſum ſolis, modò in ſeptentriones tota

fronte

fronte dirigitur. Sed ſub ipſum exitum à Septentrione paululum ad occidentem inflectitur, latus alterum ſpectat inter ortum & ſeptentrionem, alterum inter meridiem & occaſum ſolis. Per medium Monda labitur fluuius mediocris, cuius ripæ veſtitæ frequẽtibus arũdinetis, & ſalictis, villis & hortis ornatæ, crebris fonticulis ſcaturiẽtes, ac nõnullis nõ tenui, nec anguſta vena, non ingratum ſpectaculum vel ex edito loco aſpicientibus, vel etiam propius adeuntibus præbent. Deſinit in apertam quandam, & ſatis latam planiciem camporum frumentariorũ, qui natura pingues & feraces, arenæ tamen fluminis, qua obruuntur in dies magis ac magis maceſſentes, incredibilem quandam frugum copiam funderent quotannis, ſi ea eſſent accolæ induſtria, eo animo, ea facultate, vt munitione ac mole lapidum amnem extra ripas diffluentem coerçere, & ab agris, lacißque excluſum vſque in mare directo alueo perducere & ſcirent, & auderent, & poſſent. Paulò ante hanc vallem extremam in colle quodam excelſo, & qua radices eius à meridie flumen ſubluit, decliui ac penè præcipiti, in ea ripa Mondæ, quæ conuerſa eſt ad orientem, & Aquilonem, ſita eſt Conimbrica vrbs perantiqua, ſedes ac domicilium veterum Luſitaniæ regum, quæ a ſummo colle qua cliuus eſt mollior, & vergit ad occaſum ſolis in ripam vſque amnis prouecta colitur, & habitatur non parum frequenter, maximè ex quo Rex Ioannes hoc nomine tertius antiquum ei reſtituit literarum decus. Parum conſtat omnium ne quondam, an Colibria nominaretur. Sed Conimbrica deſerta, cuius ad Condexã cognomento veterem extant veſtigia, facile nobilitatem vrbis declarantia, nomen eo cum ciuibus for-

te migrauit. In aduerſa ripa, quæ ſpectat illas Auſtrales, occidentiſque ſolis partes, templum eſt vetuſtiſſimum Sancti Franciſci, quod ab oppido fluuio diſiunctum ponte rurſus adiungitur, & continetur. Proximè locum illum ad Auſtralem pontis partem (nam templum Sancti Franciſci eſt ad occidentale latus) Maior Dias honeſta mulier, & pecunioſa aggreſſa eſt ædificare Parthenonem Sanctæ Claræ familiæ, ſed permiſſu Dei rem ad exitum non perduxit, quo longè deinde auguſtius opus, & magnificentius extrueretur. Iam ædes ad habitandum exiguæ, & in eis anguſtum ſacrarium excitatum erat, cum pia & religioſa mulier eſt mortua. Nuncuparat illa ſortè Deo optimo maximo vota ſolenni more, inſtitutoque religioſi cuiuſdam ordinis, & ea re non erat ſui iuris, atq; mancipij, ſed in eius poteſtate, quicunque cœtum illum omnium ſuffragijs ei muneri præpoſitus moderaretur. Hanc autoritatem, qui tum a cæteris delectus obtinebat, cum iudices datos a Pontifice Maximo docuiſſet, quicquid illa dum viueret ædificaſſet, poſt obitum ſub ſuum ius, ac ditionem cedere impetrauit, vt caſtæ ac religioſæ fœminæ, quæ ibi habitarent, alio migrare iuberentur, ſuaque domus exinaniretur, ſibi vacua, & libera relinqueretur. Tandem cum ad alios, atque alios vt fieri ſolet, perueniſſet (nam hoc talibus viris obtinentibus non accidere potuiſſe arbitror) factum eſt, vt qui locus antea publica & ſanctiſſima cæremonia, integerrimæ familiæ religione, ac diſciplina conſecrabatur ad cultum Chriſti, in eo poſtea deſerto, ac derelicto lenonum arx, receptaculum meretricularum, caſtel-

caſtellum impilatam conſtituerebur. Quod vbi vidit excellenti animo regina, grauiter angebatur, cruciabatur tacito dolore, nec prius conquieuit, quam à Pontifice maximo aſſecuta eſt, vt in eodem loco domicilium virginibus ſacris ex Beatiſſimæ Claræ diſciplina facere, donare, dicare ſibi liceret. Tum verò gaudio triumphans, aream illam cum ædiculis, ſi quæ erant, à Dominis mercatur, multos circùm circa fundos emit, omnibuſque rebus quæ ad ædificandum pertinebant ſtudioſè comparatis, iubet iaci prima fundamenta templi. Conueniunt eò multi mortales cuiuſque modi, multi Chriſtianæ religionis antiſtites, quibus cum ipſa pariter ſuis manibus ſolenni ritu primos lapides in apertas foſſas iaciebat. Cum primùm ædificium quamuis inchoatum & rude nonnullum numerum capere potuit, magna cura, & ſollicitudine afficiebatur, vt illa prima initia per fœminas eximia ſanctitate vitæ, magno vſu rerum omnium, quæ ad inſtitutum eius familiæ, atque mores pertinerent, ponerentur. Nam quæcunque poſt eam diem in eundem numerum aſcriberentur, atque cætum, ferè tales intelligebat fore, quales nactæ fuiſſent virtutum omnium magiſtras. Cum enim naturæ neſcio qua infirmitate plerumque accidat, vt ſequentia ſint deteriora prioribus, & quæ oriuntur aliunde, ab iis, vnde ſunt nata, degenerent, quid tandem futurum ætatibus conſequentibus? quam exiles, quam tenues, quam imbecillas fore fruges religionis, integritatis, continentiæ, ſi prima ſemina exigua, arida, ſine vi, ſine ſucco, iacerentur? Hæc aſ-

ſedulè cogitanti, cum his habitanti & pernoctanti eiu-
ris renunciatum eſt, Senticæ, quam vrbem in dextera
ripa Durij ad extremam Tarraconenſem Hiſpaniam
(Zamoram iam dicunt) Parthenonē eiuſdē eſſe diſci-
plinæ, in quo mulieres permultæ verſarentur, egre-
gia integritate morum, ſingulari pietate, exiſtima-
tione honeſtæ vitæ, & innocentiæ florentes, benè
peritæ earum rerum, quæ inſtitutis S. Claræ continc-
rentur. Igitur inde vſque vndecim virgines ſelectas
accerſit, & Conimbricam ducendas curat: quibus
rectè muneris illud non mediocre committeretur.
Venientes comitabantur viri aliquot delecti è Sancti
Franciſci familia, & qui tunc ex eodem numero præ-
erat Callæciæ prouinciæ. Quos vbi regina appropin-
quare cognouit, exultans gaudio, quum aſſecutam ſe
eſſe videret, quod optaſſet, vt erat ſubmiſſo animo
ac minimè elato, cum Alfonſo filio rege deſignato
ad tria millia paſſuum obuiam procedit: accipit ho-
norificè pauperculas mulieres, quæ omnes honores
vltro repudiarant: ducit in locum ædibus potius de-
ſignatum, quam in ædes; collocat, vt poteſt, in illis
tectis inchoatis: duas annis ex omni numero, quæ nō
voluerant ſub clauſtris ſe eſſe victuras, ſibi ſocias &
comites aſſumit: vt domi ſuorum ſtudiorum parti-
cipes quaſdam haberet atque conſortes. Ab eo die
nonnullum iam fructum capiens laboris ſui, multò
ardentius quam antea cœpit opus vrgere. Aderat i-
pſa præſens, faſtigium imponi templo, incœpta con-
clauia perfici, aliarum ædium noua fundamenta ia-
ci præcipiebat, vt inſtituti operis rationem poſtu-
lare perſpexiſſet; ac ne tecta nuda eſſent & inania;
quotidie ad veteras poſſeſſiones addebat nouas. Non
enim cogitabat, quid ſatis eſſet vndecim mulieribus,

ſed

ſed quanta eſſet futura frequentia, iam tum mente & cogitatione prouidens, neſcio quid amplius & magnificentius animo complectebatur. Prouidentia Dei huic animo excellenti reginæ non defuit. Multæ virgines natæ honeſtiſſimis parentibus, inſtinctu quodam cœleſti & afflatu concitatæ, vt liberius ſolutæ curis darent operam diuinis rebus, neglectis neceſſariis, abdicatis facultatibus, ad illum religioſiſſimum cœtum ſeſe conferebant: vt propemodum magis creſceret ope diuina numerus incolarum, quam aut ædificium, aut prædia, Eliſabethæ diligentia. Atque hæc reginæ fuit in omnes homines beneficentia: quæ tametſi ſummam habet admirationem, tamen haud ſcio an illa iure ſint tamen miranda magis, quantò regiæ amplitudini & poteſtati vehementius creduntur aduerſari, animi ſubmiſſio, manſuetudo, patientia: quibus ſic excelluiſſe dicitur, vt eam nemo vnquam viderit iratam. Audierat videlicet vociferantem magiſtrum illum & doctorem, de cœlo dilapſum, diuino beneficio ac munere hominum generi datum atque conceſſum, auditoreſque ſuos commonentem & hortantem, vt ſuauiſſimum diſciplinæ ſuæ iugum, & leuiſſimum onus ceruicibus humeriſque ſuis libenter ſuſtinerent. In omnibus eius factis atque dictis, in omni vita has maximè virtutes videbatur eluxiſſe: has vnas ex omnib⁹ diligentiſſimè perſequendas bonis, ſibiq; amplectendas eſſe duxit. Ergo iniurias ſibi factas, quas vulgo vt vlciſcantur etiā obſcuriores homines, nihil non laboris, operæ, pecuniæ impendendum putant, ignoſcendo regina vindicabat. Facta ab inſolentia & acerbitate longè abhorrebant: in verbis nulla aſperitas, nulla ſpecies arrogantiæ, omnis ſermo ſingulari modeſtia,

ſuauita-

ſuauitate, humanitate conditus. Quicquid illa diceret aut faceret, tanquam imago quædam & effigies expreſſa videbatur illius animi præſtantis, qui ſedatis perturbationibus, ſumma pace & tranquillitate fruebatur. Quæ etiam ſi ex iis, quæ ſupra commemorauimus, poſſunt intelligi; non omittam tamen quod & antiquis & recentibus literis memoriæ proditum, Eliſabetæ vel lenitatem, vel ſubmiſſionem, vel tolerantiam, vel omnia verius, proſusante oculos propoſuit Principio Dionyſius, vt erat natura moderatus & grauis, coniunctiſſimè, vt rege præſtante dignum erat, cum regina viuebat. Erat populo grata & iucunda illa concordia, quum neutrum vlla in alterum officia prætermittere viderent, & matrimonium ſine labe & macula caſtum atque integrum ſeruari. Vix pauci anni interceſſerant, quum rex ſiue flexu ætatis, ſiue nonnullorum hominum conſiliis flagitioſis deprauatus (ſi conſilia vocanda ſunt, quæ omne animi conſilium illis eripiunt, quibus dantur) ſed conſuetudine quorundam quotidianoque ſermone corruptus, & ab hominibus nequam inductus, quum ad alias tranſtuliſſet amorem ſuum, alienior ab vxore cæpit eſſe: licet illa nihil quod contemni poſſet haberet. Itaque ſeptem liberos ex ſingulis mulierculis ſingulos procreauit, Alfonſum Sanctium cognomento Albuquerquium, Petros duos, è quibus alterum virum egregium comitem fecit, Ioannem Alfonſum, Ferdinandum Sanctium, fœminas duas nomine Marias, quarum alteram Ioanni Serdæ Sanctij regis fratri collocauit, altera virginum Ciſtertienſium initiata ſacris in eo Parthenone, quem pater ad vrbem Oliſiponem con-

conſtruxerat, religioſè vixit. Atque eo quidem tempore quum rex alioqui præſtans voluptati deſinitus illecebris, & naturæ blandimentis ſopitus, cupiditatibus ſuis obtemperare, in [illegible] eſt, quam exitiale populis pernicioſumque ſit, ſæpe habere contemptores famæ, voluptatis amatores. Quādiu abiectus iacuit in illo cœno; omnia pariter cum eo iacuerunt, æquitas, virtus, bellum, pax, priuata res, atque communis. Non iudicia fieri, non ius dici, non puniri ſontes, latrocinia creſcere, audaciam impunè volitare, forum mutum, mutum ſilentium legum atque iuris. Quippe nemo rex in officio poteſt continere ſuos, qui ſeipſe non continet; & flagitia ac impuritates, cuius mentem occupatam & impeditam tenent, cum de Republica, de ſingulorum ſalute, de maioribus negotijs cogitare non ſinunt. In his tantis iniurijs regina, quamquam ea ætate erat, quæ ſolet eſſe & ad maleficiendum effrænatior, & ad vindicandum acerbior, & impatientior ad ferendum, ita ſe moderatam, lenem, patientemque præbebat; vt etiamſi apertè ſine vlla non modo religione, verum etiam diſſimulatione coniugij iura ſanctiſſima à Deo propè cum ipſo mundo condita, à Chriſto tradita, & conſecrata, ab Eccleſia comprobata violari vehementer doleret; tamen nullam vultu triſtitiam, nullam graui verbis iracundiam ferret: & quæ certò ſciret quæ palam gererentur, quæ tantum non oculis videret, perpetuo ſilentio diſſimularet. Nonnulli aliquando ſtudio gratificandi multa narrabant cum quodam animi ſenſu & dolore, illum neglexiſſe, ad illam ſe contuliſſe, illi munera miſiſſe; Eliſabeta nihil audire ſimulans, ve-

ſicca

opus, in quo præter alias mulieres non paucas ſacræ Virgines ad octoginta nigro velo amictæ, pleræque nobiliſſimo genere ortæ, hominum congreſſum, atque ſermonem fugientes religioſè, caſtèque viuunt, & (quod non mediocre ornamentum eſt) vna quæ ex omni multitudine delecta cæteris præeſt, publico ritu conſecrata pontificali baculo inſignis incedit. Situm eſt in valle non inamœna, tanta copia perennium aquarum, vt eam ipſam ob cauſam, locus non ſatis ſalubris habeatur. Eſt iuxta vicus perexiguus ad quadraginta capita; hic religioſæ fœminæ præterquam vitæ, atque necis, ſummum habent ius & poteſtatem: quæ ex toto illo agro, cuius nulla pars immunis eſt, & libera, non mediocria vectigalia percipiunt. Alios prætereà fructus non paruos attributos habent diuerſis locis. Mediam domum riuus non exiguus & perennis interfluit, ex quo non paucæ, neque modicæ commoditates ad domeſticos vſus capiuntur. Multa agri iugera ſepta parietibus altiſſimis ædificio adiunguntur, & continentur. Ibi plurimæ arbores fructuoſæ, & latiſſima pomaria non aſpectum modo viriditate gratum, vmbramque opacitate frigidam, verumetiam mirabilis vtilitatis fructum præbent. Templum breue quidem & anguſtum eſt: ſed in loco propè deſerto maius non requiras. Reliquæ partes ædificationis amplæ ſatis, & antiqua illa magnificentia ornatæ. Illud prorſus ſanctiſſimæ reginæ animum egregium, & excelſum, & omnia humana deſpicientem maximè declarat; quòd cum bonam ædificij partem ipſa perfeciſſet, nomen tamen conſtituti operis atque laudem Berengariæ re-

reliquit. Itaque iacet illa in templo condita, in lapideo ſepulchro tanquam cætus illius parens, & ibidem duo filij Sanctiæ alio monimento decorantur: & ipſæ etiam ſacræ virgines, quæ locum illum incolunt, quod ab Eliſabetha factum eſſe vetuſtiſſimæ literæ teſtantur, id aſcribunt regi Dionyſio. Magna ſanè res, magna laus, vel in opus alterius nomine inchoatum tantum laborem & ſumptum impendiſſe, vel ſic latere voluiſſe, vt homines ne ſuſpicentur quidem eam inſumpſiſſe quicquam. Sed multò certè maius, quod ſequitur, videtur. Fuit illis temporibus Martinus Pontifex Guardienſis, qui fuit olim Igediſanus, vir vt res ipſa indicat, publicæ vtilitatis bene ſtudioſus. Erat is fortè Scalabi cum rege Dionyſio ab eo iuſſus & neceſſariis de cauſis euocatus: videbat pueros recens natos à parentibus vel ob inopiam, vel ob infamiam plurimos exponi: nullum iis eſſe publice præſidium, nullum perfugium conſtitutum: niſi bonorum & locupletum hominum miſericordia ſubueniret, periculum eſſe, ne multi perirent, & parentum ſuorum, vel flagitij, vel ſceleris, vel egeſtatis pœnas iniuſtas ferrent innocentes. Quo minus exponerentur, nulla ratione impediri poſſe intelligebat: ſæpeque etiam ſi poſſet, tamen vir prudens ſciebat non oportere. Aggreſſus eſt ædificare Brephotrophium nomine Mariæ Chriſtiparæ, & ſanctiſſimorum puerorum innocentium: vbi parui à parentibus expoſiti diligenter educarentur: ne aut inſontes pueri, priuſquam per ætatem diſpicere poſſent, vitæ periculum ſubirent, aut ignominiam, iſtamque ſuorum, vel intolerabile paupertatis onus ſufferre coge-

rentur, qui expoſuiſſent. Antequam res ad exitum veniret, afflictus morbo, cùm cerneret inſtare ſibi ſupremum vitæ diem, petijt vehementer, & contendit à regina, vt negotium ſuſciperet, ſua fide, & autoritate, & copijs ſuſtentaret, ne tam neceſſarium opus inchoatum relinqueretur. Fecit illa animo libentiſſimo poſt Martini obitum multo etiam amplius, quam quantum fuerat ab eo poſtulatum. Nam cùm Pontifex certum numerum præſcripſiſſet puerorum, quos nutriri vellet, non quod neminem illo beneficio excluſum eſſe vellet, ſed quod omnibus abundè ſuppeditare ſe non poſſe videret, Eliſabeta regio quodam animo, amplo, & munifico iuſſit omnes ali, qui vnquam ibi expoſiti fuiſſent, pauperibus verò non omnibus, ſed ad numerum certum victum veſtitumque præberi. Amplificauit poſſeſſiones, auxit reditus annuos, ipſa tecta nouis ædificationibus dilatauit; vt & res, & locus omnibus, quantumuis multis ſatis eſſet. Hic ſe oblectabat, hæ pollentis reginæ deliciæ, hæc ſummæ iucunditates. Quoties in oppidum illud veniebat, omnes puerorum nutrices cum alumnis ſuis accerſebat in regiam, conſtituebat ante oculos ſuos, ipſaque accumbens omnibus de menſa mittebat, hos illa ſcurras, hos fabulatores, hæc acroamata feſtiua adhibebat ad prandium. Vbi euecti erant, & ad eam ætatem peruenerant, vt laborem ferre poſſent, opificibus erudiendos tradi imperabat, vt eam quiſque artem addiſceret, ad quam eſſet ſuapte natura propenſior. Statim, vt induſtria artificioque ſuo victum ſibi quæritare poterant, nihil ex priſtina ſua domo capiebant. Si tamen oppreſſi mor-

morbo tectum, quo lucrarentur, pecuniam vnde alerentur, non haberent, eodem ſe recipere, ibidem ali, & curari voluit regina, donec aut e vita migrarent, aut conualeſcerent. Quoniam enim eorum parentes erant ignoti, domum illam, in qua eſſent educati miſeris & egentibus pro parentibus eſſe oportere dicebat; illuc eos cum neceſſitas vrgeret, tanquam ad matris opem confugere debere: nunc hæc domus ſublata eſt, vel potius cum cæteris eiuſdem modi, quæ vſquam erant in eodem oppido, in vnum publicum valetudinarium maximum & ampliſſimum translata. Nam rex Emmanuel, quoniam id longe commodius putabat, ab Innocentio octauo ſummo Pontifice impetrauit, vt in omnibus Luſitaniæ oppidis atque caſtellis vna publica domus accipiendis & curandis pauperibus conſtitueretur, in quam omnium aliarum fructus, & beneficia traducerentur, ea lege vt omnium onera ſola ſuſtineret. Quare valetudinarium maximum vbi pauperes quouis affecti morbo ſedulo, pieque curantur, & veteris illius brephotrophij facultatibus auctum eſt, quod ædificatum fuerat ab Eliſabeta; ſic eaſdem partes, munusque ſuſcepit, quod per religioſiſſimos viros ſtrenue ac fideliter adminiſtratur. Veſtigia tamen etiamnum beneficentiæ regalis extant non obſcura; in ea oppidi regione quæ ad Tyrum vocitatur oppidani, (eſt autem curia ſtrato ſcientiæ attributa) templum non modicum cernitur Beatæ M A R I A E Virgini ac ſanctis Innocentibus conſecratum, quod olim ante ad morum tumultum excitatum, rege Ferdinando con-

do con-

du conſtructum, ad Portam Lenenſem extra moenia Brephotrophium Innocentium appellabatur. Ibi quotidie fiunt duo ſacrificia per Curiales ſancti Stephani ſacerdotes, quibus valetudinarij maximi curatores ſtipendia ſua penſitant; & ferijs ipſis SS. Innocentium quæ Decembri extremo celebrantur, res diuina peragitur, maiore quodam apparatu, concio habetur ex omnibus non oppidi modo partibus, ſed etiam finitimis vicis atque pagis magna multitudo hominum loci religione commota, partim veniandi, partim aliquid poſcendi, partim gratulandi gratia concurrit. Quæruntur famuli ſancti Ioannis Euangeliſtæ, egregia pietate, ac religione viri, quibus eſt valetudinarij publici Scalabitani procuratio commiſſa, tantos antiqui Brephotrophij nomine ſumptus fieri, præſertim cùm accepta pecunia vix ſufficiat ſtipendijs ſacerdotum. Ego Reginam, cùm tam multa onera imponeret, ingentes pecunias aſſignaſſe arbitror, vt illis temporibus, ſed in hac tanta caritate nihil ſatis eſſe poſſe. Verum hæc à primis autoribus rogata ſuſcepit, etiamſi à nemine rogata ſua ſponte [illegible] amplificarit. Illud dicamus quod ab alijs tentatum interuentu mortis impeditum, atque diremptum, nullius rogatu reginæ diligentia, pietate, benignitate longè maius & ornatius reſtitutum non mediocre lumen attulit ciuitati Conimbricenſi. Vallis eſt bene longa, & amœna inter occidentem ſolem & ſeptentriones patens, quæ hinc & illinc ſepta collibus fructuoſis, partim vinetis æſtate, partim oliuetis viret omni tempore anni, & varios Marandros habet atque flexiones. Nam modò in occaſum ſolis, modò in ſeptentriones tota

fronte

fronte dirigitur. Sed ſub ipſum exitum à Septentrione paululum ad occidentem inflectitur, latus alterum ſpectat inter ortum & ſeptentrionem, alterum inter meridiem & occaſum ſolis. Per medium Monda labitur fluuius mediocris, cuius ripæ veſtitæ frequētibus arundinetis, & ſalictis, villis & hortis ornatæ, crebris fonticulis ſcaturientes, ac nonnullis nō tenui, nec anguſta vena, non ingratum ſpectaculum vel ex edito loco aſpicientibus, vel etiam propius adeuntibus præbent. Definit in apertam quandam, & ſatis latam planitiem camporum frumentariorū, qui natura pingues & feraces, arenæ tamen fluminis, qua obruuntur indies magis ac magis maceſſentes, incredibilem quandam frugum cōpiam funderent quotannis, ſi ea eſſent accolæ induſtria, eo animo, ea facultate, vt munitione ac mole lapidum amnem extra ripas diffluentem coercere, & ab agris, latiſque excluſum vſque in mare directo alueo perducere & ſcirent, & auderent, & poſſent. Paulo ante hanc vallem extremam in colle quodam excelſo, & qua radices eius à meridie flumen ſubluit, decliui ac penè præcipiti, in ea ripa Mondæ, quæ conuerſa eſt ad orientem, & Aquilonem, ſita eſt Conimbrica vrbs perantiqua, ſedes ac domicilium veterum Luſitaniæ regum, quæ a ſummo colle qua cliuus eſt mollior, & vergit ad occaſum ſolis in ripam vſque amnis proiecta colitur, & habitatur non parum frequenter, maximè ex quo Rex Ioannes hoc nomine tertius antiquum ei reſtituit literarum decus. Parum conſtat Eminium ne quondam, an Colibria nominaretur. Sed Conimbrica deſerta, cuius ad Condexā cognomento veteris extant veſtigia, facile nobilitatem vrbis declarantia, nomen eo cum ciuibus for-

te migrauit. In aduerſa ripa, quæ ſpectat inter Auſtrales, occidentiſque ſolis partes, templum eſt vetuſtiſſimum Sancti Franciſci, quod ab oppido fluuio diſiunctum ponte rurſus adiungitur, & continetur. Proximè locum illum ad Auſtralem pontis partem (nam templum Sancti Franciſci eſt ad occidentale latus) Maior Dias honeſta mulier, & pecunioſa aggreſſa eſt ædificare Parthenonem Sanctæ Claræ familiæ, ſed permiſſu Dei rem ad exitum non perduxit, quo longè deinde anguſtius opus, & magnificentius extrueretur. Iam ædes ad habitandum exiguæ, & in eis angulum ſacrarium excitatum erat, cum pia & religioſa mulier eſt mortua. Nuncuparat illa fortè Deo optimo maximo vota ſolenni more, inſtitutoque religioſi cuiuſdam ordinis, & ea re non erat ſui iuris, atq; mancipii, ſed in eius poteſtate, quicunque cœtum illum omnium ſuffragiis ei muneri præpoſitus moderaretur. Hanc autoritatem, qui tum a cæteris delectus obtinebat, cum iudices datos a Pontifice Maximo docuiſſet, quicquid illa dum viueret ædificaſſet, poſt obitum ſub ſuum ius, ac ditionem cecidiſſe, impetrauit, vt caſtæ ac religioſæ fœminæ, quæ ibi habitarent, alio migrare iuberentur, ſuaque domus exinaniretur, ſibi vacua, & libera relinqueretur. Tandem cum ad alios, atque alios vt fieri ſolet, perueniſſet (nam hoc talibus viris obtinentibus non accidere potuiſſe arbitro) factum eſt, vt qui locus antea publica & ſanctiſſima cæremonia, integerrimæ familiæ religione, ac diſciplina conſecrabatur ad cultum Chriſti, in eo poſtea deſerto, ac derelicto lenonum arx, receptaculum meretricularum,

caſtel-

caſtellum impuritatis conſtituerentur. Quod vbi vidit conſcienti animo regina, grauiter augebatur, cruciabatur tacito dolore, nec prius conquieuit, quam à Pontifice maximo effectum eſt, vt in eodem loco domicilium virginibus ſacris ex Beatiſſimæ Claræ diſciplina facere, donare, dicare ſibi liceret. Tum verò gaudio triumphans, aream illam cum ædiculis, ſi quæ erant, à Dominis mercatur, multos circum circa fundos emit, omnibuſque rebus quæ ad ædificandum pertinebant ſtudioſe comparatis, vniuerat iaci prima fundamenta templi. Conuenerant multi mortales cuiuſque modi, multi Chriſtianæ religionis antiſtites, quibus cum ipſa pariter ſuis manibus ſolemni ritu primos lapides in apertas foſſas iaciebat. Cum primum ædificium quamuis inchoatum & rude nonnullum numerum capere potuit, magna cura, & ſollicitudine afficiebatur, vt illa prima initia per fœminas eximia ſanctitate vitæ, magno vſu rerum omnium, quæ ad inſtitutum eius familiæ, atque mores pertinerent, ponerentur. Nam quæcunque poſt eam diem in eundem numerum aſcriberentur, atque cætum, fere tales intelligebat fore, quales nactæ fuiſſent virtutum omnium magiſtras. Cum enim naturæ vitio quo infirmitate plerumque accidat, vt ſequentia ſint deteriora prioribus, & quæ oriuntur aliunde, ab iis, vnde ſunt nata, degenerent, quid tandem futurum erat ſuis conſequentibus? quam exiles, quam tenues, quam imbecillas fore fruges religionis, integritatis, continentiæ, ſi prima ſemina exigua, arida, ſine vi, ſine ſucco, iacerentur? Hæc aſſiduè

ſedulò cogitanti, cum his habitanti & pernoctanti curis renunciatum eſt, Senticæ, quam vrbem in dextra ripa Durij ad extremam Tarraconenſem Hiſpaniam (Zamoram iam dicunt) Parthenonē eiuſdē eſſe diſciplinæ, in quo mulieres permultæ verſarentur, egregia integritate morum, ſingulari pietate, exiſtimatione honeſtæ vitæ, & innocentiæ florentes, benè peritæ earum rerum, quæ inſtitutis S.Claræ continerentur. Igitur inde vſque vndecim virgines ſelectas accerſit, & Conimbricam ducendas curat: quibus rectè munus illud non mediocre committeretur. Venientes comitabantur viri aliquot delecti è Sancti Franciſci familia, & qui tunc ex eodem numero præerat Callæciæ prouinciæ. Quos vbi regina appropinquare cognouit, exultans gaudio, quum aſſecutam ſe eſſe videret, quod optaſſet, vt erat ſubmiſſo animo ac minimè elato, cum Alfonſo filio rege deſignato ad tria millia paſſuum obuiam procedit: accipit honorificè pauperculas mulieres, quæ omnes honores vltro repudiarant: ducit in locum ædibus potius deſignatum, quam in ædes: collocat, vt poteſt, in illis ædibus inchoatis: duas autem ex omni numero, quæ nō vouerant ſub clauſtris ſe eſſe victuras, ſibi ſocias & comites aſſumit, vt domi ſuorum ſtudiorum participes quaſdam haberet atque conſortes. Ab eo die nonnullum iam fructum capiens laboris ſui, multò ardentius quam antea cæpit opus vrgere. Aderat ipſa præſens, faſtigium imponi templo, incœpta conclauia perfici, aliarum ædium noua fundamenta iaci præcipiebat, vt inſtituti operis rationem poſtulare perſpexiſſet; ac ne tecta nuda eſſent & inania; quotidie ad veteras poſſeſſiones addebat nouas. Non enim cogitabat, quid ſatis eſſet vndecim mulieribus,

ſed

ſed quæ ea eſſet futura frequentia, iam tum mente & cogitatione prouidens, ne[illegible] quod amplius & magnificentius animo complectebatur. Et quidem Deus huic animo excellentis reginæ non defuit. Multæ virgines natæ honeſtiſſimis parentibus, iuſtitia quodam cœleſti & aſſiduo contactæ, quę liberius ſolutæ curis [illegible] neceſſarijs, abundarent facultatibus, ad illum religioſiſſimum cœtum ſeſe conferebant [illegible] ope diuina numerus [illegible], aut ædificium, aut prædiis, [illegible] diligentia. Atque hæc reginæ ſuæ in omnes homines beneficentia: quæ tametſi ſummam habet admirationem, tamen haud ſcio an illa iure ſint etiam miranda magis, quantò regiæ amplitudini & poteſtati vehementius creduntur aduerſari, animi ſubmiſſio, manſuetudo, patientia: quibus ſic excelluiſſe dicitur, vt eam nemo vnquam viderit iratam. Audierat videlicet venerandum magiſtrum illum & doctorem, de cœlo dilapſum, diuino beneficio ac munere humanum generi datum atque conceſſum, auditoreſque ſuos cōmonentem & hortantem, vt ſuauiſſimum diſciplinæ ſuæ iugum, & leuiſſimum onus ceruicibus humeriſque ſuis libenter ſuſtinerent. In omnibus eius factis atque dictis, in omni vita has maxime virtutes viſebatur eluxiſſe: has vitæ ex omnib' diligentiſſimè perſequendas bonis, ſibiq; amplectendas eſſe ducit. Reginarum [illegible], quas vulgo vt [illegible] etiā obſcuriores homines, nihil non laboris, operæ, diligentiæ impendendum putant, ignoſcendo regina vindicabat, facta ab inſolentia & acerbitate longe abhorrebant: in verbis nulla aſperitas, nulla ſpecies arrogantiæ, omnis ſermo ſingulari modeſtia,

ſuauita-

conſtrinxerat, religioſè vixit. Atque eo quidem tempore quum rex aliòqui præſtans voluptatis delinitus illecebris, & nimiæ blanditijs ſopitus, cupiditatibus ſuis obtemperaret, magnuque intellectu eſt, quam exitiale populis pernicioſumque ſit, regem habere contemptiorem famæ, voluptatis amatorem. Quidiu abiectus iacuit in illo cœno, omnia pariter cum eo iacuerunt, æquitas, virtus, bellum, pax, priuata res, atque communis. Non iudicia fieri, non ius dici, non puniri ſontes, latrocinia crebreſcere, audaciam impunè volitare, forum mutum, interitum ſilentium legum atque iuris. Quippe nemo rex in officio poteſt continere ſuos, qui ſe ipſe non continet: & flagitia ac impuritates, cuius mentem occupatam & impeditam tenent, eum de Republica, de omnium ſalute, de maioribus negotijs cogitare non ſinunt. In his tantis iniurijs regina, quanquam ea ætate erat, quæ ſolet eſſe & ad maledicendum effrænatior, & ad vindicandum acerbior, & impatientior ad ferendum, ita ſe moderatam, lenem, patientemque præbebat; vt etiamſi apertè ſine vlla non modo religione, verum etiam diſſimulatione coniugij iura ſanctiſſima à Deo propè cum ipſo mundo condita, à Chriſto tradita, & conſecrata, ab Eccleſia comprobata violari vehementer doleret; tamen nullam vultu triſtitiam, nullam præſe verbis iracundiam ferret: & quæ cōſpiceretque, quæ palam gererentur, quæ tantum non oculis videret, perpetuo ſilentio diſſimularet. Nonnulli aliquando ſtudio gratificandi multa narrabant cum quodam animi ſenſu & dolore; illam neglexiſſe, ad illam ſe contuliſſe, illi munera miſiſſe; Eliſabeta nihil audire ſimulans, ve-

ſicta

ſacras precationes recitare, vel de rebus diuinis, beniſque moribus compoſitos legere libellos, vel cum ſuis ancillis de Deo, rebuſque cæleſtibus longos & ſalutares inſtituere ſermones. Deinde quos filios aliunde regi fuiſſe natos audiuiſſet, vt vel hac eum ratione à cupiditate reuocaret, ad ſe adducendos curabat, educabat pro ſuis, victum veſtitumque præbebat, viris honeſtis & probis tradebat in diſciplinam, eoſque ipſos non minori ſtudio complectebatur, non minoribus honoribus afficiebat, & ornabat, quam ſi filiorum ſuorum cuſtodiæ præpoſiti fuiſſent. Tantis malis exercita, vt ad omnium miſerorum portum, ſic illa confugiebat ad vnum Deum: ibi conquieſcebat, in eius quaſi ſermone & ſuauitate omnes curas, omnes dolores deponebat: neque tam iniurias ſuas, credo, querebatur, quam orabat, vt in viam reduceret errantem virum. Homines mirari, obſtupeſcere qui non viderant, incredibile ducere tantam eſſe grauitatem morum in puella, tantam moderationem in ætate tam immoderata. Ipſe Dionyſius diutius eximiæ manſuetudinis vim ſuſtinere non potuit. Qui querentem, vociferantem, tumultuantem contempſiſſet, is victus vxoris patientia, victus officijs, confirmauit animum aduerſus voluptatem, excuſſit delicias, coercuit longius euagantes & exultantes appetitus: correxit mores, & ad vltimum vſque vitæ diem cum coniuge ſua caſte, vti oportebat, sáctéq; vixit. Difficile quidem exiſtimatu eſt, vtrum ſit maius, reginamne id feciſſe, quod fecit, an ſuæ virtutis admirabili ſplendore ſic perſtrinxiſſe quaſi regiæ mentis oculos, vt ſubito ſe ipſe ab illo mollis, & voluptariæ vitæ curſum tam incitato reuocaret. Sed Eliſabeta non ſatis habuit intus, & foris,

otio

otio ſummo ac tranquillitate frui, quæ etiam cæteros, quoad eius fieri poſſet, ſui ſimiles efficeret, & ad eandem rationem ab inimicitijs ac diſcordiis tumultu traduceret. Acceperat enim nihil eſſe magis proprium Chriſtiani hominis, nihil magis dignum hoc nomine, quam concordiſſime viuere cum omnibus, & vniuerſos mortales ſibi proximos exiſtimantem eximio quodam amore complecti: nihil inimicitius religioni noſtræ, nihil ab ea magis alienum & abhorrens, quam inimicitias licet iuſtiſſimas exercere cum aliquo, vel tacitas, & occultas, vel indictas & apertas. Hoc maxime Chriſtum doctorem hominum egiſſe, hoc contendiſſe, hoc velle didicerat, vt quemadmodum ipſe, quamuis alius, natura tamen, ac numine ipſo ſemper fuiſſet, & eſſet vnum, & idem atque pater: ſic nos illud reconditum & abſtruſum ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium longe ſequentes, quoad hæc noſtra mortalitas pateretur, tametſi natura diſiuncti, ſtudio tamen atque voluntate non diſſideremus. Hinc illa nata ſunt, in quibus magnoperè eluxit reginæ virtus atque ſapientia. Si cui rex eſſet iratior non merenti, ſiue falſa aliqua ſuſpitione, ſiue vt fit voculis maleuolorum & obtrectatorum ſuſurrationibus, mitigare verbis, & ad remiſſionem omni ratione contorquere, animum ardentem ira, & horribiles eius impetus deprecari, euellere falſam opinionem, docere quid verum eſſet, quid malitioſe fictum, quid ſpe aut metu deprauatum, quid à cupiditate aliqua aut inimicitijs profectum videretur: ſupplicare pro innocentium ſalute, acerbitatem ad lenitatem, odium ad beneuolentiam deducere: in quo cum modū

tenebat, vt nunquam autoritatem ſuam interponerent preces, quominus debitæ pœnæ lege, ac more conſtitutę à ſontibus repeterentur. Si quos vero præſertim honoratiores & diuitiores inimicitias odijs incenſas hoſtilem in modum exercere cognouiſſet, partim ipſa conueniret; partim per alios de pace agere, mali diſſidij & diſcordiæ docere, ad veterem gratiam & amicitiam reſarciendam hortari: [illegible], qui alteri feciſſet iniuriam, vnde ſatisfaceret non haberet, præbere de ſuo, nihil gratius, nihil iucundius, nihil in hac vita beatius putare; quam qui modo capitali odio diſſiderent, eos poſtea primum diuina ope, deinde ſua diligentia videre concordes. Quo quidem ſtudio veteris gratiæ reconciliandæ [illegible] ſanctiſſima Regina; vt non in Luſitania ſolum, qui alieno eſſent animo, reduceret in gratiam, ſed etiam extra Luſitaniam quæreret, quorum graues iras & exitioſas diſcordias placaret. Præclara ſunt & eximia quæ ex hoc genere cum [illegible] literis commemorantur, [illegible] exponemus. Sed paulo tamen ſuperius repe[illegible] demonſtrandæ cauſa. Dionyſius fratrem [illegible] natu, cui Alfonſo nomen erat. Is Portalegrum, [illegible]anum, Caſtellum [illegible], & Aronches oppida Luſitaniæ ad montem Herminium in extremis regni finibus, qui nunc etiam paucarum literarum immutatione dicitur Arminius, acceperat à patre ea lege, vt ſuis poſteris, viris ex legitimo matrimonio natis, hæreditatem illam poſſet relinquere; filij legitimi viri ſi nulli eſſent; omnia redirent ad regem. Alfonſus autem regulus Lerienſium (id oppidum medio ferè inter Olisiponem & Co-

& Conimbricam [illegible], [illegible] filium Antonio, fuiſſe non leuis eſt [illegible] quem vnum illi filium virum ex legitimo [illegible] ſs obierat, priuſquam ex eo nepotes illos habe- rentur [illegible] à Dionyſio, et filius ſuus [illegible] ac opulentiſſimus [illegible] Caſtellæ regulis [illegible] quæ ſolæ reliquæ erant, pro legitimis heredibus haberi non ſolum peterentur, verum etiam [illegible] erat Eliſabeta, vt diligens in conciliandâ & con- ſeruandâ pace, ſic & in periculis prouidendis pru- dens, & fortis in propulſandis. Alfonſo quod po- ſtularet, concederetur, non eſſe recuſandum intel- ligebat, quin magnum aliquod malum ea res af- ferret vniuerſæ Luſitaniæ. Primum enim quanta fie- ret de imperio & opibus regni diminutio, ſi oppida muniſſima, in ipſis regni finibus conſtituta, [illegible] Luſitaniæ clauſtra alienarentur: & ad viros nobi- les, potentes, principes vicini & nunquam ſatis pa- cati regni peruenirent? Deinde quoniam Alfonſus totius rex Luſitaniæ cupiditate infinita regnan- di latius, viuente adhuc vxore Mathilde comite Bononienſi duxerat Beatricem Alfonſi deci- mi Caſtellæ regis filiam, & Dionyſius natus e- rat ex poſteriore ante prioris mortem, meritò non legitime credebatur ortus. At Alfonſus frater editus erat in lucem poſt vxoris veræ diſceſſum, quo tempore iam ſecundæ nuptiæ ratæ iureque coniunctæ habebantur. Ideo eti- amſi à Pontifice maximo impetratum eſſet, vt Dionyſius patri ſuccederet, tamen Alfonſus ingenuè ſemper ſuum eſſe regnum, ſibi ſceptrum iure deberi non obſcurè loquebatur. Ea res non leuem ſuſpicionem afferebat [illegible]

ti regni: ad quod occupandum quantus pateficret aditus, ſi ea ianua generis illius, alienigenis hominibus, & non ſatis æquo animo in Luſitanos committeretur, qua effracta & reuulſa, tota Luſitania pateret? Quapropter Regina communi omnium vtilitati conſulens ac tranquillitati, compoſito libello Alfonſi filij ſui nomine pueri adhuc infantis, ad quem hæreditas veniebat, regnique oblato eum obteſtata eſt, ne aut ipſe fratris filias pro legitimis hæredibus haberi iuberet, aut id à Pontifice maximo beneficij loco impetrari pateretur. Quibus rebus permotus Dionyſius, vt in tanta atrocitate oportebat, fratri non cum æquo poſtulare reſpondit, ſimulque docuit, quantum ex eo periculum ſi non in præſens, at in poſterum oſtenderetur. Tulit ille periniquo animo, neque regi, aut in pace aut in bello, erat audiens dicto, vti bonum fidelemque fratrem vel clientem facere conueniebat. Adſciſcere auxilia generum ſuorum, facere crebras ex oppidis in agros excurſiones, omnia circum circa habere infeſta, ijs, qui Dionyſio parebant, pro viribus nocere. Anni tum circiter mille ducenti octoginta ſeptem à partu virginis numerabantur, quum bellum ciuile moueri cœptum, ſed furoris deinde, & audaciæ maturitas in annum ducenteſimum octogeſimum nonum ſupra milleſimum erupit. Namque inter Dionyſium, & Sanctium Caſtellæ regem, qui vt ſupra ſignificatum eſt, regnum Alfonſo patri & filio fratris abſtulerat, ita conuenerat, vt Alfonſus hæres Luſitani regni Beatricem duceret Sanctij filiam, Ferdinandus verò qui rex Caſtellæ futurus erat, Conſtantiam

filium Dionyſij, quum primum liceret per ætatem, & ſanctiſſimæ neceſſitudine Miniſterio, duo opulenti reges pacem inter ſe amicitiamque firmarent. Hac nuptiarum pactione facile vtrque continebatur. Colebatur religioſè fides fœdere deuincta, quum Alfonſus frater infenſus Dionyſij generos ſuos, qui contra Sanctium regem ſuum arma ceperant, oppidis recepit ſuis. Querebatur ille crebro, fœdus violari dicebat, atque fidem, ſi ſui capitales hoſtes, fortunæ ſuæ ſecundæ portum apud Luſitanos inuenirent. Nec imperauit Alfonſo, ne contra fœderis pactionem receptaculum illis & perfugium præberet. Verum nec ſocer generos eiecit, nec inimicus (neque enim frater) inimico morem gerere in animum induxit: ſe capite quondam patris donationis & prærogatiua liberum ſeruitute regia, & omnium rerum immunem eſſe reſpondit: neminem habere ſuam fidem obligatam, quo minus faueret cuiuſcunque commodum putaret. Senſit Dionyſius ad ſeditionem ſpectare conſilia fratris, & iam antea multis eius ſuperbè factis atque dictis irritatus copias quam poteſt maximas vndique comparat. Vno eodemque tempore Arronchium, Maruanum, Portalegrium, vbi tunc Alfonſus erat, obſidet. Pugnatur vtrinque fortiter, multi cæduntur, omnis & Luſitanus & Caſtellanus ager finitimus ferro flammaque vaſtatur. Regina magnitudine mali percuſſa, non ignara quam pernicioſum vniuerſæ Luſitaniæ bellum tam diu inteſtinum atque domeſticum futurum eſſet; orare Deum Optimum Maximum, vt leniret implacabiles fratrum iras, ſedataque diſcor-

diſcordiis redderet ſuis amiſſum otium & quietem: Antiſtites religionis alioſque viros principes, qui plurimum apud vtrumque valerent, allegare: ipſa nullum laborem recuſare, adire virum, conuenire filium, deteſtari bellum, ad pacem hortari, regni totius detrimenta, pericula, vaſtitatem, ponere ante oculos, æquas vtrique parti dicere conditiones, obſecrare, obteſtari; vt conſulerent magis incolumitati omnium, quam vel iracundiæ ſuæ vel commodis paucorum. Flexit tandem vtriuſque mentem, & ad aliquam æqui bonique partem deduxit. Alfonſus, qui circumſeſſus tenebatur Caſtella ſua Arij Cabralis fidei commiſſa, ad iuſiurandum adacti non prius ea regi reſtituturum, quam ipſi ſatis eſſe factum cognouiſſet. Dionyſius vt ea reciperet Sintram, Aurenium, & vicos aliquot æquo planoque in loco ſitos in agro Oliſiponenſi fratri dedit. Tunc maxime apparuit quanto ſtudio pacis, & publicæ tranquillitatis Eliſabeta teneretur. Quum enim Sintram rex attribuiſſet vxori, dedit illa libentiſſimo animo municipium ornatiſſimum, quo ſatis ſuperque à Dionyſio Alfonſi cupiditati eſſe factum videretur. Hoc ciuili bello tam atroci, tam periculoſo reginæ precibus, induſtria, diligentia reſtincto, aliud armorum incendium ortum eſt ab externis. Sanctius enim manſit in conditione atque pacto, quoad ei commodum viſum eſt, miſſaque claſſe ad vexandam oram Luſitaniæ, de qua nuper is cum Gallis agitabat a quibus repulſus, rurſus ſe contulit ad Luſitanos. Sed quum

diem

diem ex die duci videret Dionyſius, intelligens abhorrere Caſtellanum à pace, bellum indixit. Hic ſubitò Sanctius exceſſit è vita, regnum Ferdinando filio reliquit. Pueri tutores Maria mater, & Henricus vir princeps, pacis promiſſa ſtare recuſabant. Quod Luſitanus ægerrimè ferens, opulentum exercitum ad vltimos regni fines adduxit, perſecuturus bello ius ſuum, quod æquitate ipſa tueri non poſſet. Venit ad eum Henricus iamiam infeſtum exercitum in Caſtellanum agrum inducere parantem: dedit Mirobrigam, quam modo vrbem Roderici vocant, quæ iam à comite quondam Roderico genero Alfonſi ſexti Caſtellæ regis olim reſtituta fuit, inde compoſitione facta conditionibus æquis, cum pace dimiſit. Ecce autem violata fide, tanto formidoloſius bellum exortum eſt, quanto fuerant principia tardiora. Non eſt credibile quanta crudelitate, quam acerbis odijs, quanto animorum ardore ſit vtrinque dimicatum. Dionyſius infeſtis ſignis ingreſſus in Caſtellanum agrum, & populatus omnia quæ in ſe Alfonſo Cerdæ conſobrino, & Ioanni vero principi auunculo ſuo commiſiſſe, qui Caſtellanum, ac Legionenſe regnum petebant, Septimancas vſque penetrauit, quæ ſex millia paſſuum diſtant à Pincia, vbi Ferdinandus ipſe verſabatur. Caſtellana claſſis Luſitaniæ littoribus imminebat, nonnulliſque ſæpius duces ſubitis irruptionibus & depopulationibus agros Anæ proximos habebant infeſtos. Diſpice-

 ban-

bantur ſacra & profana omnia, cæde & incendio cuncta vaſtabantur. Quicunque veniſſent in hoſtium poteſtatem, partim per contemptum tanquam vilia mancipia venibant paruo, partim in ipſis templis, quo confugerant, ante altaria, & imagines cæleſtium iugulabantur, partim ad palum deligati configebantur ſagittis. Eam nactus occaſionem præclaram Saracenus, Granata copias educit, non paucas arces, & Caſtella occupat, maiorum Vrbium ſuburbana ſpoliat, vniuerſæ Bæticæ non terrorem modò, verùm excidium etiam & inflammationem infert. Neque vero tantum, & tam propinquum periculum, ac tam commune, cognatos reges ad aliquam æquitatis partem adduxit. Annum vnum, & tres menſes durauit illa peſtis: quo omni tempore regina Eli erat eo animo, vt nullis vnquam malis frangeretur, tamen vehementiſſimè dolebat, conficiebatur angore, torquebatur dies atque noctes, quum accepta & illata mala, & illius teterrimi belli diram immanitatem cogitabat, & quantum vniuerſæ Hiſpaniæ periculum impenderet ab hoſte communi. Tendebat in cœlum ſupplices manus, Deum aſſiduè precabatur, flens ab eo pacem & veniam expoſcebat, implorabat cœlitum fidem & miſericordiam, tota denique erat in cœleſti Numine pro omnium incolumitate, quieteque placanda occupata. Petebat interdum humiliter atque demiſsè, ſi ob aliqua populi delicta pœnæ de vniuerſis tam cruento bello ſumerentur, vt omnes minas, periculaque omnia ab innocentibus, & miſeris in ſe vnam verteret, pro eo ac merita fuiſſet: ſe quidem, modò ciuitates ex fœdiſſima flamma, Hiſpa-

Hiſpania tota ex bello & vaſtitate eriperetur, quæcunque ſibi conditio fortunæque proponeretur, libenter ſubituram. His precibus, his lacrymis, his diurnis, atque nocturnis muliebris ſanctiſſimæ lamentationibus commotum Deum Opt. Max. feciſſe arbitror, vt illa mala perniciem & interitum cunctis minitantia eiuſdem opera & ſedulitate ſanctis haberent omnium opinione meliores. Nam quum illa ſpem in Deo collocaſſet, qui regum animos habet in ſua poteſtate, interea nec dicere, nec facere vnquam deſtitit, quæ ad pacem pertinerent. Crebras, occultaſque mittere & ad virum & ad filium amitini ſui legationes: vtriuſque conſiliarios, quos principem gratiæ locum apud reges tenere arbitraretur, officij ſui commonefacere: omnes orare, & hortari, vt patriæ iacentis & perditæ miſererentur. Quid enim locuturos, qui viderent? quid exiſtimaturas ceteras gentes atque nationes, ad quas eius belli triſtis & calamitoſa fama perueniret? quem denique fore ſermonem hoſtium Chriſtiani nominis, quos adhuc Hiſpania ſuſtineret, quum reges tales, diſciplina Chriſtianos, cognatione proximos, religione fratres audirent inter ſe tam grauiter & inimicè pugnare? quam porrò lætitiam? quam alacritatem? quem triumphum? quum illa diſſenſione tanta viam ſibi facilem & breuem muneri cernerent ad Hiſpaniæ totius imperium recuperandum? alia multa regina commemorabat. quæ & intelligendi prudentia prouidebat, & periculi magnitudo oſtendebat, & animi dolor ſuggerebat. Tandem etſi vtroſque acceptis malis incenſos ſtimulabat ira ad perdendum hoſtem, tamen quum hominum ſtrages, agrorum vaſtationes, hoſtis communis audaciam, & inſolentiam reputa-

paratam, ad pacem omnium animi verſi ſunt. Ferdinandus quicquid ex pactione patris deberet, ſoluturum ſe eſſe promiſit: obſides dedit, aliaque pignora non leuia ſuæ voluntatis. Dionyſius placatus domum reuertit: exercitum dimiſit: Caſtellam armorum terrore liberauit: ſpem Saraceno præcidit reliqua Bætica, vt optabat, potiundi. Conuenerunt deinde ambo reges Erijauicam, quod Alcaniſium modo nominant Hiſpani. Erat cum Ferdinando Maria mater, Beatrixque ſoror, & Henricus tutor: cum Dionyſio Eliſabeta coniux, filia Conſtantia, & Alphonſus frater: præterea multi pontifices, multi proceres, qui vt fit, vtrumque regem fuerant officij cauſa proſecuti. Ibi quum alter alteri feciſſet & re, & oratione ſatis, & omnia belli damna mutua diſſoluta, compenſataque fuiſſent; ſocietas confirmata fœdere, quod in tabulis publicis perſcriptum ad memoriam hominum ſempiternam, & affinitate duplici ſancitum eſt. Ferdinandus Conſtantiam ducit, quæ propterea [illegible] Beatricem Ferdinandi ſororem nondum maturam viro Dionyſius in Luſitaniam adducit, quam Conimbricæ Alphonſo filio [illegible] deſpondit, collocaturus, vbi vterque ad legitimam ætatem perueniſſet. Fuit ille annus quo hæc geſtarum, milleſimus ducenteſimus nonageſimus ſeptimus, non ideo ſolum omnibus iucundus, quod duos inter ſe diſſidentes reges ita coniunxit; ſed etiam multò magis quoniam illa pax certiſſimum attulit initium vniuerſæ Hiſpaniæ pacandæ, quæ iam diu ſuis ipſa viribus & armis lacerabatur. Quod vt fieri poſſet, quoniam magno ſtudio elabora-

beatum eſt Eliſabetæ, rem totam vt geſta ſit, ordine narrabo.

PETRI PERPINIANI SOCIETATIS IESV, DE VITA ET MORIBVS B. ELISABETHAE LVSITANIAE REGINAE.

LIBER SECVNDVS.

VIx illa fuerat ſedata tempeſtas, cum aliæ repente, neſcio quo aduerſo Hiſpaniæ aſtro commota eſt, multo etiam turbulentior futura, niſi Deus Opt. Max. compeſcuiſſet ſuos: cuius principia repetemus paulo altius, quo facilius extrema cognoſcantur. Præerat tum apud Aragonios ſummæ rerum Iacobus Eliſabetæ frater, qui ſecundus fuit rex eius gentis hoc nomine. Nam Alphonſus natu maximus, cui Petrus pater regnum Aragonium tradiderat, nec poterat flecti, vt duceret vxorem, ex quo etiam cælibi cognomen inuenit, & expugnata minore Baleari, ore-[illegible] florente atque integra ætate fuerat extinctus. Iacobus igitur ex Sicilia, quod regnum à patre relictum obtinebat, euocatus, Aragonum imperio ſuſcepto cum Ferdinando auunculi ſui filio de Murciano regno certabat. Etenim Sanctius Ferdinandi pater dum rex Alphonſus in Germaniam ſpe ſummi imperij adipiſcendi contenderet, mortuo Ferdi-

Ferdinando fratre, quem pater ante ſuum ex Hiſpaniis diſceſſum omnium ciuitatum conſenſu regem deſignarat, Patrij regni gubernationem, propugnationem, defenſionemque ſuſceperat, neque paſſurus erat Alfonſum Cerdam filium fratris aui ſucceſſorem renunciari. Rex cum Pontif. Max. rogatu Rodulpho ceſſiſſet, reuerſus in patriam, iudicium filij contra pactionem fœderis cum Gallo factum, & ipſe comprobauit, & concilio publicè indicto fecit, vt omnes ciuitates comprobarent. Violantia Regina quæ ad Iacobum ſuperiorem Aragoniorum regem patrem ſuum abſente marito profugerat cum duobus nepotibus ſuis, verita ne pueri iuſſu patrui interficerentur, petijt, vt Murtiæ dotale regnum Alfonſo Cerdæ, qui erat natu maior, donaretur, quando cætera non ſine ſcelere ablata fuiſſent. Hac eum conditione adduci poſſe, vt ius ſuum deſereret, & auita patriaque regna Sanctio remitteret atque concederet. Rex probato conſilio, feciſſet quod poſtulatum erat ſine mora, niſi Sanctius palam contradixiſſet. Qui cùm imperij ſocium ferre non poſſet, & regios legatos, qui ad Pontif. Max. de eo mittebantur, verbis, minisque deterruit, & ambitione impia ad ſtudium regni ductus, adortus eſt regno pellere filius patrem. Conuentum ille indixerat Pinciam, vt de Murcia nepoti condonanda ageretur. Ibi Emmanuel regis frater, cui ciuitatum omnium legati multis iam ante Sanctij de patre querelis in ſenem concitati, permiſerant ſummam ſtatuendi poteſtatem, maxima frequentia, ſtans clariſſima voce pronunciauit, quoniam Alfonſus crudelis in fratres, alioſque præſtantes viros extitiſſet, argenti talenta L. (pendet autem Hiſpanicum talentum, quod quintal vulgo dicitur,

centum

centum Hiſpanicas libras, nummorum viginti tres, & trientem ſupra centum) Conſtantinopolitani Cæſaris vxori temerè dediſſet ad redimendum virum captum ab hoſtibus, pecuniam adulteraſſet, vectigalibus magna ex parte ſublatis, quaſi neruos regni inciſiſſet, regnum Algarbiorum (ſic enim appellant Arabico nomine veteris Luſitaniæ partem, olim à Turdetanis ferè habitatam, quæ eſt ad ſacrum promontorium, & flumen Anam) Alfonſo tertio Luſitaniæ regi genero ſuo condonaſſet, omneſque Luſitanos reges in poſterum iuriſiurandi, quo tenebantur, metu ac religione liberaſſet, & alijs etiam ſumptibus ſtultiſque ac minimè neceſſarijs largitionibus, ſera illi parum piè regis extimi munificentiam interpretabantur, eius imperij diminuiſſet, & poteſtate, & vectigalibus & nomine regio ſpoliandum eſſe, Sanctium quem appellandum, & omnes dicto audientes eſſe oportere: tam inhumana & horribili voce confirmata regna omnia penè vno tempore à rege defecerunt ad Sanctium: id tantum maieſtati patriæ tributum, ne filius Alfonſo viuo Rex appellaretur. Sola Hiſpalis in fide manſit & Murcia, quæ propterea quod eius virtute quadam ex parte fuerat à Saracenis recuperata, Regē alium noluit agnoſcere, quoad ille vixit. Ita Rex omnis memoriæ facilè princeps, qui ob egregiam ſcientiam aſtrorum, ſingulareque conſilium quaſi cognomen iam habebat in ſermone ſapientis, & in Germania, vbi nomen eius multum erat propter magnitudinem rerum geſtarum, & magnificentiam liberalitatis Cæſar omnium ſuffragijs fuerat renunciatus, & altitudine animi ſingulari iniuriam non mediocrem imperij prærepti voluntaria obliuione conniuerat, inimicitiaſque iure fortaſſe cum

æmulo

æmulo ſuſceptas Reipublicæ Chriſtianæ & Pontificiis precibus donarat, ex omni Hiſpania, quam clariſſimis nobilitarat victoriis, & triumphis, filij ſcelere eiectus vix angulum vnum inuenit, qui deficientem recrearet, & ruentem acciperet, & tegeret morientem. At Alphonſus eius nepos cum ſe patrui fraude nudum, ſpoliatum, eiectumque videret, non ferens tantam indignitatem rerum; Ioannem patruum ſuum alterum Legionis regem appellat, Iacobo Aragonio conſobrino patris Murciam concedit, vtrique daturus vtrumque regnum ſi vicissent, ſolum ipſe retinuit Caſtellani regni nomen: hac pactione ſocietati belli pacisque inita cum duobus potentiſſimis viris, in poteſtatem redigere nititur ablata ſibi regna. Aragonius tanta ſpe erectus, poſt obitum Sanctij, interea dum filius paruus erat in alterius tutela, vi & armis occuparat attributum ſibi regnum. Id poſtea quum Ferdinandus repeteret, Aragonij contra defenderent acriter; bellum conflatum eſt magnum & acerbum. & quoniam vni vno tempore cum quatuor res erat, (nam Ioannes Nonius Lara regulus ſummis opibus adiunxerat ſe ſocium illis tribus) difficile certè Dionyſij genero & periculoſum. Ille non neſcius, quam exitioſum eſſet tam multos habere inimicos, tam opulentos, tam infenſos, minore negotio duobus, quam quatuor reſiſti poſſe ratus, cum patruo, & cum Ioanne Nonio decidit. Reſtabat adhuc cum Alphonſo fratre patruele, & cum Iacobo conſobrino patris non leue certamen. Nam præterquam quod innocentes multi miſere trucidabantur, prædæ ex agris agebantur vtriuſque regni, vici exurebantur, ſocij

Regum,

Regum, qui alternas partes ſequebantur, ingentes clades accipiebant, præter hæc & alia communia mala belli, inſtabat à tergo Ferdinando cum Aragonio pugnanti Saracenus, qui tam graues & tam incenſas Chriſtianorum regum iras, veræ ſibi lucro futuras exiſtimabat: & eo minore periculo & labore finitimas vrbes maioribus ſuis ereptas recuperaturum, quo vehementius illi, atque diutius præliarentur. Magnam prorſus calamitatem infeliciſſimus hoſtis ſperabat aliquam, niſi virtute & cognati reges alterius autoritate ad conditiones pacis adducerentur. Regina erat alteri ſoror, alteri ſocrus, & nobiliſſima parte, nata & educata in illis terris, quæ maxima ex illo bello detrimenta capiebant. Et ſi, cum ſemper eo animo fuiſſet, vt alienis malis non ſecus doleret ac ſuis; hæc duorum regnorum incommoda maiore quadam ratione ducebat ſua; quoniam eorum dignitas & ſalus agebatur: vt etiamſi quæ ſemper fuerat, non eſſet: tamen quicquid alterutri vel iam adeſſet, vel impenderet mali, id non aliter ac ſi adeſſet & impenderet ſibi, dolere ac metuere deberet: patriæ verò ruinas multo etiam magis horrere quam ſuas; præſertim quum bellum quidem ipſum magis illis eſſet proprium, qui pugnarent, quam cæteris, belli dolor, & timor, & periculum omnibus etiam quieſcentibus videretur eſſe commune. Quapropter ſine intermiſſione Deo principum, pacis, & concordiæ parentis pro totius Hiſpaniæ ſalute ſupplicabat: lacrymis aſſiduis perfundebat cœleſtium aras orans, vt iram numinis à populi Chriſtiani vita, libertate, fortunis, ſuis precibus auerteret: deinde non diſſ-

diffidens tales principes exorari poſſe, vt priuata odia publicæ vtilitatis cauſa deponerent, ſi cuius hominis excellens autoritas intercederet, partim ab alijs, qui non poſtremum amicitiæ locum apud eos obtinerent, admonendos, hortandosque curabat, partim ipſa quantum poterat induſtria & labore contendere tantum faciebat, vt qui primi reges Hiſpaniæ numerarentur, dolores, inimicitiasque ſuas Reipubl. Chriſtianæ concederent. Docebat quantum in diſcrimen omnes venirent: quantam perniciem acerrima illa contentio eſſet allatura, niſi cauerent, præcipue cum ſuperiore bello, quod cum Dionyſio geſtum eſſet, Saracenus multis caſtellis captis ad reliquam Bæticam inuadendam factus eſſet alacrior ſucceſſu: quanto in odio apud omnes gentes futurum eſſet eorum nomen, ſi patria tanto maiorum labore & ſudore, tam multo ſanguine militum fortiſſimorum ex hoſtium teterrimorum faucibus erepta, ipſorum culpa ad eoſdem hoſtes Chriſtianum ſanguinem ſemper ſitientes vlla ex parte reuerſa videretur. Quid illis gratius accidere poſſet? quid iucundius? quid oportunius, quam diſſenſionibus mutuis debilitari & frangi eorum opes, quos deinde tanto facilius eſſent victuri, quanto plus & de copijs rerum, & de militum auxilijs perdidiſſent? nihil ſcilicet optare, nihil orare aliud inimiciſſimas religioni noſtræ nationes loco tam propinquas, numero tam infinitas, potentia tam formidoloſas, niſi vt Chriſtianorum gladij ſociorum corporibus hebeſcerent, quo minus eorum aciem timerent ſui; vt milites continuis ferè prælijs fatigarentur, quo certior eſſet victoria cum integri adorirentur feſſos, vt lectiſſimi quique equites mutuis vulneribus occiderent,

rent, quo breui reliquias ipſi delerent: vt earum domeſticis bellis exinanirentur, pecunia deeſſet ad externa. Denique vt omnes vires in certamine neque vtili, neque glorioſo potius conſumerentur, quæ ſi ad recuperandam veterem poſſeſſionem conuerterentur, magnam ſibi calamitatem eſſent inuecturæ: Illis copijs, illis impenſis, illo labore, illo ſanguine quam multas vrbes hoſtium, quam magnam Hiſpaniæ partem in priſtinam dignitatem vindicare potuiſſe, niſi ſocij aduerſus ſocios pugnare maluiſſent? Quanto & honeſtius & vtilius futurum fuiſſe exturbari, exterminari, extingui nominis Chriſtiani capitales hoſtes, quam eiuſmodi bellum geri, ex quo non minor propè ad victores dolor, quam ad victos perueniret? illa incendia, illas populationes, illas ruinas, illas ſtrages, illas direptiones iam diu Saracenorum tectis, agris, mœnibus, exercitibus, fortuniſque deberi: quantum alter alteri noceret, tantum communibus hoſtibus prodeſſe: quanta fieret de vtriuſque copijs, imperioque diminutio, tantam fieri ad eorum vires acceſſionem, ad ferocitatem, ad audaciam. Mederentur tanto malo, conſulerent ſuis rationibus, proſpicerent patriæ ſaluti, prouiderent periculis omnium, ponerent priuatas inimicitias, publicæ incolumitatis cauſa. Si quas inter ſe controuerſias haberent, eas longè melius bonorum arbitrio, quam armorum tumultu poſſe componi. Eſſe in Hiſpania viros & ea in vtrumque beneuolentia, vt vellent, & ea nobilitate, vt deberent, & ea ſapientia vt poſſent ambobus iura ſumma æquitate deſcribere. Viderent ne vniuerſo naufragio & quæ haberent, & de quibus contenderent vno veſtigio temporis amitterent.

ſe quidem pro ea beneuolentia ſumma, quam æquum eſſet ſocrum erga generum habere, ſororem erga fratrem, mulierem amantem religionis erga Rempublicam Chriſtianam vniuerſam, vtriuſque regni tranquillitate pacis atque otij Florentia, totam Hiſpaniam periculo vacuam, armorum terrore liberam cupere videre. Huiuſmodi literis, nuntijs, cohortationibus, fœmina excellens propinquos reges vtrique proxima ad compoſitionem faciendam, ad patriæ præſidium frequenter excitabat, neque intermittebat interim diurnas, & nocturnas obſecrationes, atque vota, quibus multò facilius, quam auctoritate cuiuſquam rem perfici poſſe confidebat. Erat enim ille annus M. CCCIII. ab ortu Chriſti, quo anno Benedictus vndecimus hoc nomine poſt Bonifacij octaui mortem legitimè creatus, Roman. Pontif. præerat Chriſtianis ſacris. Fuit ille virtute præſtanti, qui matrem in bombycina veſte non agnouit, mox ad eiuſdem obſoletiore veſtitu venientis complexum ac oſculum modò non occurrit. Suſcepto Pontificatu ſtudio quodam & amore pacis flagrans nihil habuit antiquius, quam vt Eccleſiam multis & pernicioſis ſeditionibus miſerabiliter diſtractam conciliaret rurſus, atque coniungeret. Audit ardere Hiſpaniam ſociali, ac propè ciuili bello. Quo nuncio perculſus, ſicuti par fuit bonum patrem filiorum periculo percelli, continuò literas dedit ad vtrumque regem plenas pietatis, plenas doloris, plenas amoris cuiuſdam & beneuolentiæ, in quibus facile recognoſceres curam & ſolicitudinem communis parentis omnium. Petebat, orabat, interdum etiam pro ſuo iure contendebat, vt arbitrum ſumerent quem vellent, cui

cui ſuam cauſam rectè committi poſſe crederent, ne crudeliſſimum, & immaniſſimum [illegible] illud iucundiſſimum totæ ſtragis, & ſanguinis Chriſtianis ſpectaculum præberent: longe eſſe ſatius, vnius, aut plurimum arbitrio vtriuſque parti æqui, [illegible] nolle quod alteri auferri, quam ſtudio militorum immoderato, & omnibus iniquo cuncta ſimul [illegible]. Illi iam quotidianis Eliſabetæ monitis, & precibus inclinari. Pontificis, [illegible] auctoritate nullo negante [illegible] Regi [illegible] placere ſibi bellum facere deſiſtere, omnia vnius arbitrio permittere, apud quem ſine tumultu, cum pace, bonaque venia, iure & legibus diſceptando decertarent. Verum Dionyſio Luſitaniæ rege neminem neque meliorem, neque æquiorem arbitrum poſſe reperiri. Hominem eſſe & iuſtitia inſignem, & prudentia, ac ſapientia præſtantem, & ingenio perſpicacem, ac ſolertem, quæ res nõ [illegible] ad vnamquamque rem exiſtimandam, momentaque ſua ponderandum tenerent: porrò iis neceſſitudinibus vtrique coniunctum, vt neutri poſſit melius, quam alteri conſultum eſſe velle. Hortaretur eum ipſe per literas, negotium commendaret, peteret ne difficultatem illam ſubterfugeret ſua, vel, potius omnium cauſa. Etiamſi de eius in ſe animo nil dubitarent, exiſtimare tamen Pontifice M[illegible]x. poſtulante, vel nullam, vel minimam certe recuſandi cauſam habiturum. Geſſit in eiuſmodi re libenter morem [illegible] regum voluntati; rogauit Dionyſium, vt eo arbitro & diſceptatore potentiſſimis regibus ad controuerſias [illegible] diſtrahendas vti liceret. Luſitanus non ignarus quam id eſſet ſibi ac ſuis honorificum, reliquæ Hiſpaniæ vtile futurum,

cum neque Pontificis auctoritatem aſpernari, neque preces vxoris aſſiduas repudiare poſſet, laborem cum gloria ſuorum, moleſtiam cum aliorum fructu ſuſcepit. Et quoniam pax non poterat eſſe diuturna, niſi ſtirps ac ſemen ipſum diſcordiarum extingueretur, ſapienter illi quorum de rebus diſceptabatur, omnes controuerſias, vnde bellum ortum eſſet diiudicari oportere putauerunt. Ad dirimendam igitur Iacobi & Ferdinandi litem de Murciano regno Ioannes princeps, qui cum iam ante Ferdinandus redierat in gratiam, & Ximenius Epiſcopus Cæſaraugustanus loco dari regi Dionyſio ad cognoſcendam Alphonſi & Ferdinandi cauſam; de Caſtellæ regno Dionyſius, & Iacobus reges iudices dicti. Quibus ita conſtitutis anno 1304. omnes quorum aliquid intererat compromiſerunt ceteris Caſtellis depoſitis, à diſceptatorum ſententia & voluntate, ne latum quidem vnguem diſceſſuros, quicquid illi cognita cauſa ſtatuiſſent, id ratum ſibi fixumque habituros. Deinde cum Dionyſium feciſſent per nuncios de compromiſſo, rationemque pœnis certiorem, orarunt, vt quoniam commode tantas res abſentibus agi non poſſet, ne grauaretur ipſe adeſſe. Satis laxum præſtitutum eſſe conficiendo negotio diem, vt ante decimum octauum Kalendas Septembris omnia iam eſſent quæſita, agitata, definita iura. Ille multis iuſtiſque de cauſis nec laborem itinerum nec ſumptum tantum ſibi deuitandum arbitratus Cal. Quint. cum Eliſabeta coniuge profectus eſt, vt illa diſceptationi regum intereſſet: cuius grauitas, & obſecratio præcipuè flexiſſet eorum mentes. Comitabantur Alphonſus frater, Petruſque filius, & viri nobiles non pauci, aliis

ci, alij paria multi ad mille numerum equo, & veſtibus pro temporis illius parſimonia bene ornati. Conuenerat inter principes, vt Tyraſſone conuenirent, rerum harum iudicium, oppidum, id eſt, in Hiſpania citeriore mediterraneum & peruetuſtum, quod olim Celtiberi genus valde bellicoſum tenuerunt, Nunc ſitum in extremis Aragonij regni finibus narrade, quam olim Gracchurim fuiſſe quidam opinantur, Caſtellanorum oppido vicinum oppoſitum aduerſum, & paululum immutato nomine vocatur Tarazona. Eo Dionyſius contendit cum ſuis. Ferdinandus ſocero honorificè accepto, ad hoc iunctus venit eodem cum Maria matre & coniuge Conſtantia magno comitatu, Vbi iam eos expectabat Aragonius cum vxore Blanca, regali apparatu & ornatu, vt illa tempora ferebant, praeclaro atque magnifico. Acta prius eſt Ferdinandi & Iacobi cauſa, qua ſedulo cognita tres arbitri, quorum nomina ſupra poſui, decreuerunt, vt Murciae regnum diuideretur, pars Aragonijs regibus tribueretur, pars cederet Caſtellanis: ex qua diuiſione etiam nunc Elchium, Illici, Orcellis, Elda, Nouelda, aliaque nonnulla Caſtella in Valentino regno numerantur. Deinde Dionyſius, & Iacobus reges de Alphonſi Cerdae, & Ferdinandi contentione ſtatuerunt, vt Caſtellae regnum Ferdinandus eiuſque poſteri haberent, Alphonſo Caſtella certa cum vicis donarentur, aliaque multa & bona, vt his ille contentus viueret priuatus, nomen, inſigniaque regia deponeret. Haec publicè pronunciata, & omnium conſenſu, ſicuti par erat, comprobata, ipſam iam illam quidem, ſed multum ac diu optatam pacem vniuerſae Hiſpaniae pepererunt, &, quod eſt admi-

dum magis, ita ratam atque firmam, nullis vt inde-ceps viuis autoribus fuerit aliquando turbari. Redijt Dionyſius in patriam, regibus pacatis, eodem anno, dimidiato fere Septembri, (falſo enim, librarij vitio fortaſſe, ſcriptum eſt in vetuſtiſſimis monumentis, quæ in Parthenone Conimbricenſi diuæ Claræ cuſtodiuntur, annum hunc fuiſſe ab imperio Cæſaris M. CC. LXXIIII. [illegible] ante tradatur Eliſabetam anno ab eiuſdem imperio M. CC. LXXI eſſe natam) non ea re ſolum magnam gloriam adeptus, quod ad tantas lites dirimendas vnus ex omnibus electus laborem cum ſumptu, moleſtiam cum detrimento non recuſarit, ſed quod ita ſe magnificum, ac liberalem [illegible] e, tum in conuiuijs regum, vt ſuæ magnificentiæ memoriam in illis locis reliquerit æternam. Fuerunt omnino antiqua illa tempora felicia [illegible], cum opulenti reges [illegible] Pontificis Max. autoritate, ſocrus ſororiſque precibus [illegible] alienæ fidei committebant, & [illegible] res ſuas, vel quod arbitri ſtatuiſſent [illegible] dicentes, tam ſancte, religioſeque ſeruarent, & in contentione partium [illegible], qui ab odio aut gratia remotus, quod æquum bonumque videretur, iudicaret. Hoc ſi modo [illegible] reges, atque principes, non audiremus quotidie Galliam, & Italiam crudeliſſimis flagrare bellis, non orbis omnium terrarum, non vniuerſa maria immaniſſimis eſſent prædonibus infeſta. Paucis omninò annis ab hac concordia, priuſquam ciuile bellum in Luſitania filius cum patre gereret, Ferdinandus gener Dionyſij fere repentina morte extinctus eſt non ſine magna admiratione omnium, ac diuinæ ſeueritatis metu. Fuit

ui. Fuit ea certe illis ac luctuoſa Dionyſio, & Eliſabe-
tæ, qui tamen non multis annis poſt aliud vulnus
longe grauius & acerbius acceperunt. Nam Conſtan-
tia regina non diu ſuperſtes viro breui tempore in
ipſo ætatis flore diſceſſit è vita. Hic nonnulla ferun-
tur accidiſſe diuinitus, aliena quidem a diſcordijs
placandis, & tollendis inimicitiis, ſed quoniam in
hoc tempus inciderunt, huius loci propria. Mortuo
genero Mirobrigam reges adierunt Conſtantiæ vi-
ſendæ, leuandique doloris cauſa. Secuta eſt Viraca
Vaſchia, cuius ſupra iam fecimus mentionem, quæ
ſtudio cęleſtium rerum & amore, virginitatem ſuam
Deo conſecrarat, & propter virtutis opinionem erat
in intimis Eliſabetæ. Hanc crebro ſubitus quidam
inuadebat dolor, tantus, vt ſæpe diu ſine mente, ſen-
ſuque iaceret, cum nec cibum ſumere, nec loqui poſ-
ſet. Multi ſæpe medici tam grauem morbum fru-
ſtra fuerant depellere conati. Mirobrigæ verſantem
repente ſolitus dolor miſeram mulierem oppreſ-
ſit. Vbi reſpirauit, & aliquantulum recreata ad ſe
redijt, inuiſit ancillam ſuam, vel potius conſilio-
rum ſociam, & participem regina. Illa non igna-
ra quam ſanctè viueret & religioſè, vides, inquit,
vides regina quam frequenter, acerbeque diſcru-
cier & torquear? Precare Deum obſecro, vt ſi
commodum ipſi videatur, aut mihi firmam red-
dat valetudinem, aut ex hac colluuione famu-
lam ſuam migrare iubeat in cœlum beatorum. Sa-
tius enim eſt emori, quam hunc dolorem cum tan-
to pudore perferre. Commouit humaniſſimum regi-
næ animum familiaris fœminæ miſerabilis aſpe-
ctus, & oratio. Orat Deum, vt ipſe medeatur pro ſua
clementia tam intolerabili dolore, miſereatur tam

probæ mulieris, & tam religioſæ: manu deinde capitis & corpus reliquum permulcens ſignat crucis ſigno ſalutari. Dictu mirabile: quæ aurea tam grauiter ſæpenumerò vexabatur, & affligebatur, vt à morte non longè abeſſe videretur, ab ea die nullum vnquam ſimilem dolorem ſenſit, idque ipſa poſtea palam eſt teſtificata. Poſt obitum verò Conſtantiæ Dionyſius, & Eliſabetha Scalabi Olisiponem ibant aliquando. Ecce Reginam Azambugiæ iam appropinquantem anachorita quidam pedes à tergo perſequitur cum clamore: orat, obteſtaturque per Deum, vt ſe paucis audiat. Repellebatur à circumſtantibus, Eliſabetha iubet accedere: tum ille Conſtantia, inquit, filia tua regina in Sacello ſolis & ab arbitris remoto, vbi dego, ſæpe mihi dormienti viſa eſt dicere, ſe in igne purgante grauiſſimè torqueri; orare te parentem ſuam, vt ſibi laboranti ſubuenires: Poſſe ita facile tam diro cruciatu liberari, ſi omnibus diebus vnius anni ſpatio iuberes per ſacerdotem integrum & caſtum pro ſe fieri ſacrificium. Reginæ comites ridere fabulam, [illegible] etiam ſtomachari [illegible] Conſtantiam mortuam apparere poſſe, & ab illis [illegible] ſcilicet potius [illegible] charissimis parentibus, [illegible] apparuiſſet. Anachorita diſceſſit. Regina [illegible], quis eſſet, vbi habitaret, omnes ſe neſcire reſponderunt. Narrat [illegible] rem omnem Regi: conſilium exquirit. Videtur, inquit ille, fieri oportere diligenter quod admonuit Anachorita. Arceſſit Ferdinandum Mendium Sacerdotem, cuius ea erat innocentia, ea exiſtimatio vitæ, vt tam

alicuius

alienis diſſipato crudeliter, quam ſi filius primum natus eſſet. Imperat eo tempore annua ſingulis diebus fieri pro Conſtantiæ filio ſacra rem diuinam: Videntur peruſtus dies interim incerto, Conſilium intelligo non defuturos, quibus commentarium hoc, atque ſi ſtum videatur, & poetarum fabulis non diſſimile: verum tamen viſum fuit omnibus, qui erant in Regione contra eo. Sed non video cur incredibile putetur fuiſſe ipſe animus Conſtantiæ ab illis inferni regionibus, vbi igne purgante expiatam pendebat ſuorum peccatorum pœnas, tantiſper diuina voluntate remiſſum ad viuentes, dum opem ſibi aliquam, & auxilium expeteret. quod & fieri poſſe, & aliquando vſu venire omnium pene Theologorum, ac ſanctorum hominum monimenta teſtantur: ſiue Conſtantia ipſa neſciente, & in ſuo illo carcere manente, in quem fuerat iudicio detruſa, Angeli Dei iuſſu quandam eius imaginem & ſpeciem inanem Anachoritæ dormientis animo obtulerunt: quæ ſubſidium Conſtantiæ neceſſarium poſtulare videretur, quod & Sanctus Auguſtinus & cæteri ſcriptores diuinarum rerum cum doctrina, tum pietate præſtantes ſæpius euenire ſolere tradiderunt. Nam quod alieniſſimo potius homini vel ſeſe oſtenderit, vel oſtenſa fuerit, quam ſuis, ad conſiliorum diuinorum reconditas, abſtruſaſque cauſas referri poteſt. Nec a ratione abhorrens exiſtimandum eſt, quod perſpiſſe dicitur, vt caſtus & integer ſacerdos diligeretur. Quanquam enim eadem ſemper eſt vis, eadem efficacia ipſius ſacrificij a Chriſto Optimo Maximo laboribus, cruciatibus, morteque perfecti, ſiue per bonum, ſiue per malum ſacerdotem: & precationes ſolennes ſacrorum, quæ

totius Eccleſiæ perſona & nomine peraguntur, non fiunt infructuoſæ vitio miniſtri, tamen doctiſſimorum & ſanctiſſimorum virorum diſputationibus teſtatum, & comprobatum eſt, non minimo adiumentum afferre gratiam apud Deum & pietatem operantis. Certe is fuit exitus rei, vt iam neceſſariò credendum eſſe videatur. Quippè annuo ſpatio confecto Reginæ Conimbricæ verſanti filia cum veſte candida viſa eſt ſecundum quietem, quæ matrem nominatim appellans, tandem, inquit, ex illis ſupplicijs erepta ſum diuina clementia, quæ ante grauiſſimo cum dolore proferebam. Nunc aſcendo in altiſſimum illud domicilium, vbi dolore & cruciatu libera perfruar iucunditate ſempiterna. Expoſuit illa Regi niſum, ſed non in mentem veniebat, quæ ſacra fieri iuſſiſſet. Diluxit, in ſacellum venit, vt intereſſet rei diuinæ. Adit iam ſedentem Ferdinandus Mendius, pro quo fieri velit ſacrificium in poſterum. Annum enim iam eſſe completum; quo toto pro Conſtantia mortua facere iuſſus eſſet. Quibus verbis admonita, rediſt in memoriam quid aliquando Anachorita nunciaſſet, & nouiſſima conferens primis; En inquit, hoc illud eſt quod in quiete mihi nocte proxima ipſa narrare viſa eſt, en cauſa cur apparuit dormienti. Egit quas potuit Deo gratias pro tanto beneficio, præcepit nonnulla ſacra celebrari cum ſolenni cantu, & pauperibus vndique collectis maiores ſolito pecunias viritim diſtribuit. Quod ſi quis erit tam ſui iuris, ſuæque ſententiæ, vt adduci non poſſit ad credendum, is ſic habeat me nemini in eo aſtringere & obligare meam fidem,
ſed

ſed ea tantum exponere, quæ ſint vetuſtiſſimis literis tradita, nihil arbitrantem incredibile, quod per viros fide dignos proditum poſteris optime congruat cum Patrum ſententijs, placitis, decretis. Nos iam ad diſſenſiones per Eliſabetam extinctas redeamus. Omnia ſuperiora aut Dionyſio cum fratre externiſque regibus bella fuerunt, aut vicinis regibus inter ipſos: nunc exponemus quod filius hæres regni intulit regnanti patri, in quo maxime perſpectus eſt Eliſabetæ animus, cognita virtus, exercita patientia. Et quoniam ita demum facilè ac iucundè quod geſtum eſt percipitur, ſi fontes vnde omnia manarunt demonſtrentur, & aperiantur; rem totam vſque à capite arceſſemus, verum ſine faſtidio & paucis. Rex Alfonſum filium ſuum valde ſemper dilexerat, & amarat, ſuique amoris erga illum multa maxima, & certiſſima ſigna dederat: vel quod tanto labore periculoque ſuo perfecerat, vt ei Beatrix ſoror ac filia regis vxor daretur; vel quod vix ſex annos nato cum primum ei Beatricem Conimbricæ deſpondit, ampliſſimam & ornatiſſimam familiam, regalemque apparatum ſeorſum dederat, & grandia vectigalia aſſignarat, vt non modo quę ad cultum atque victum, alendamque familiam tantam eſſent neceſſaria copioſè ſuppeditarent, ſed etiam in officioſos ac diligentes famulos multa munera & beneficia conferri poſſent, vel quod nuptias poſt reditum ex Aragonia maximis impenſis omni ludorum & conuiuiorum apparatu ſumma frequentia Oliſipone celebrarat, vel quod duorum nepotum ſuorum qui pueri diſ-

ceſſerant

ceſſerant immaturam mortem adeo grauiter ac moleſte tulerat, vt Roma vſque Pontifex Maximus contabeſcentis animi mœrorem per literas conatus fuiſſet leuare conſolando. Tanta parentis in ſe voluntate perſpecta peroffſicioſè filius ac peramanter eum obſeruare debuiſſet, quem etiamſi durus eſſet ac ferreus, & coli & amari oporteret. Verum longè aliter euenit nonnullis de cauſis. Primum enim illa nimia indulgentia, qua nihil eſt in educatione liberum perniciſius, corruptus puerilis animus, cum propè ante regem ac dominum quam hominem ſe eſſe nouiſſet, tantos ſibi Spiritus, tantam arrogantiam ſumpſerat, vt omnia, etiam patrem in ſua poteſtate eſſe debere arbitraretur. Hinc illa deinde nata ſunt: patrias diuitias, copias, theſauros cupidius appetere, quam decorum erat filios regni totius adminiſtrationem, quæſtiones rerum capitalium, iuriſdictionem vniuerſam, patre viuo & ſatis adhuc ad imperium gerendum firma & integra ætate, vſurpare velle. Ad hæc accedebat inuidentia quædam in pectore penitus incluſa, quæ mentem adoleſcentis exagitatam deprauabat. Quippe Dionyſius duos præcipuè filios eoſque non legitimè procreatos, cariſſimos habebat, Alfonſum Sanctium, eſſe Ioannem Alfonſum, quos in omnibus rebus ſibi ſemper morigeros & obnoxios expertos, ad ſuam voluntatem ſe conformare videbat. Id Alfonſus æquo animo pati non poterat: qui tametſi liberaliter, & honorificè vti filium, & hæredem haberi conueniebat, à rege tractabatur, tamen in amore, qui ſocium & æmulum ferre non poteſt, ſolus eſſe cupiebat. Impulit ergo Mariam ſocrum ſuam Caſtellæ reginam, vt ſcriberet ad patrem, magno ſe de-

ſe deſiderio teneri filiæ, ac generi videndi, petere & orare, vt vtrumque ad ſe venire pateretur. Quod quum Dionyſius negauiſſet reginæ poſtulanti, tam ſubitum deſiderium à filio ortum eſſe ſuſpicatus, ille ſocrum inuiſit inſcio & inuito patre. Vix demum redierat: ecce repentè nuntius ad regem à Maria, obſecrare, obteſtari, vt gubernationem omnium rerum Alfonſo permitteret. Rex modicè reprehenſa poſtulatione, tam aliena talis reginæ prudentia, cur ita non oporteret fieri demonſtrat. Alfonſus, qui coram fortè aderat, moleſtè ferens reſponſum illi redditum, Valere iubet patrem, diſcedit iratus: ex eo tempore ſemper eius & conſuetudinem & conſpectum vitat vt fratrem innocentem cui inuidebat, aliquo honeſto nomine opprimeret, tabulas publicas fingit allatas Magacela, quod oppidũ eſt in vltimis Caſtellæ finibus, diligenter obſignatas, in quibus ita ſcriptum erat: in illis partibus occiſum eſſe quendam à certis viris Luſitanis (nomina ibi omnium poſita fuerant) qui iam morte propoſita confeſſus eſſet, iuſſu Alfonſi Sanctij ſe venenum parauiſſe Alfonſi fratris deſignati Luſitaniæ regis necandi cauſa. Earum exemplum miſit Dionyſio, poſtulans ne inultum relinqueret tantum ſcelus: at ille homo acutus, & ſolers, qui non ſolum ea, quæ ante pedes poſita eſſent, videre, ſed etiam occulta conijcere poſſet, ideo quod filius ipſarum tabularum, quæ dicebantur allatæ, poteſtatem ſibi facere recuſabat, id quod res erat ſuſpicatus, excogitat rem ſingularem. Tabulas alias veras totius Senatus ſignis obſignatas ab eodem oppido clam afferendas curauit, quibus quæ prioribus tabulis continerentur, falſa & ficta eſſe oſtendebantur. Nunquam in illis locis

eiuſmo-

eiuſmodi facinus eſſe factum: nunquam ſibi viros illos fuiſſe, qui nominarentur, ne nomina quidem ipſa vnquam audita. Alfonſus dolens arte patris eluſam artem ſuam, ſparſit hos per Luſitaniã rumores. Dionyſium de ſententia quorundam populorum hoc in poſtulatis edidiſſe Pontificis Max. quoniam filius regni hęres non ſatis ſana mente videretur, nec tamen muneri ſuſtinendo aptus, & filium alium legitimũ nullum haberet, vellet iuberetque Alfonſum Sanctium ad hæreditatem regni capiendam pro legitimo haberi: Hæc rex facilè publicis omnium ciuitatum teſtimonijs, & ipſius Pontificis Maximi Ioannis viceſimi ſecundi literis confutauit, qui & falsò tantum crimen in tantum regem collocatum eſſe teſtatus eſt, & iuuenem exultantem audacia hortatus eſt, ne ab eo patre filius diſſentiret, quo audiente, ac diſceptante regum alienigenarum diſſenſiones extinctæ fuiſſent. Verùm ille frenum momorderat: admonitiones, præcepta, quorumcunque hominum autoritatem contemnebat: flagitioſorum, & facinoroſorum circum ſe tanquam ſtipatorum cateruas habebat, exules rerum capitalium condemnati, quicunque aut iudicijs conuicti fuerant, aut pro ſuis factis iudicia timebat, hi iuueni feroci ac turbulento peximi & familiares erant. Habebatur eius domus perfugiũ & tanquam aſylum quoddam improborum, omnibus qui eo confugiſſent, omnium rerum impunitate propoſita. Ea res magnam licentiam dabat comitib. & aſſeclis, & domeſticis ipſius ſpoliandi, pulſandi, necandi, alienam expugnandi pudicitiam, perfringendi omnia repagula iuris, pudoris, officij, quũ nec ipſe maleficia vindicaret, nec Dionyſius de ſceleratis ſumere ſupplicium poſſet. Data illi fuerat iam

ante

ante Conimbricā oppidum non exiguum. ibi relicta cōiuge cū Petro filio, ſtipatus bene firma & magna maleficiorum manu ad Vincentij Martyris baſilicā, quæ eſt in eo Luſitaniæ promontorio, quod olim ſacrum appellatum, nunc ab eius Martyris nomine nomē accepit, religionis cauſa profectus eſt. Scio ſcripſiſſe nōnullos fictā & ſimulatam fuiſſe religionem illā, vt ſub obtentu pietatis Olyſiponē Vrbē regiam intraret ſine certamine, nullo periculo & labore occuparet; occupatam teneret contra voluntatem patris, & fortaſſe ſic tunc loquebantur, qui viderent: ſed ex alia eius audacia, & tali comitatu magis, quam quod cuiquam id exploratum foret, hæc fama manabat. Verſabatur eo tempore Scalabi cum Eliſabeta Dionyſius; non potuit ferre pater impudentiam filij, ſenectutem illi ſuam ludibrio eſſe ratus, quod ſeptus agmine latronum tam propè accedere non eſſet veritus, cum ad compilandas magis quam ad venerandas cælitum aras ire videretur. Confeſtim cum vxore proficiſcitur. Lumeari, qui vicus ampliſſimus & copioſiſſimus ad quatuor millia paſſuum ab Vlyſſippone diſtat, factus eſt certior Sintram ſe Alfonſum contuliſſe. Incenſus eſt multò magis, quod tantò propius ad duodecim millia paſſuum acceſſiſſet. Patriam autoritatem, maieſtatemque regiam contemni videbat: iuuenem ferocitate exultantem ſtatuit opprimere de improuiſo. Ponit ad omnia itinera cuſtodes, ne quis excurreret, qui tantum domeſtici mali filio nunciaret; milites armari iubet, expediri equites, qui ſecum Sintram aduolarent: Vigilat de multa nocte, proficiſcitur benè comitatus, ſperans eam noctem illi tam turpi diſcordiæ iuuenis impij ſupplicio

plicio finem allaturam. Quod ni Regina ſolita diligentia occurriſſet tanto malo, illa nocte poſt conſtitutum Luſitaniæ regnum peſſimum facinus patratum foret. Non enim deerant, qui paternum animum ſua iam ſponte ſatis ardentem inflammare verbis conarentur, tantamque audaciam grauiter, ac ſeuerè coercendam, ac reprimendam exiſtimarent. Sed Eliſabeta etſi res ita occulta geſta erat, vt proficiſcentem virum cum eo cubans non ſenſiſſet, vbi primum profectum eſſe cognouit cum armatorum manu, filio timens multos diuerſis itineribus nuntios dimiſit, qui ſui periculi neſcientem illum, ac nihil tale metuentem admonerent. Ipſa interea plurimis ſacrificijs fieri iuſſis ad expoſcendam Dei pacem, cum ſuis ancillis, quas optimè moratas habebat, multum lachrymans Deum precabatur, ne tam inſanabilem Luſitaniæ plagam imponi ſineret, vt Regem ſuum deſignatum, quem cum publica & priuata omnium lætitia naſcentem vidiſſet, aſpiceret cum ſummo dolore hoſtilem in modum cæſum: mitigaret iram Dionyſij, filium iuueniliter inſolentem, & audacem Patris ſenis armis liberaret, & tantum odium ſuo Numine in beneuolentiam conuerteret, & amorem omnibus ciuitatibus cum gratum & iucundum, tum vtilem etiam, ſalutaremque futurum. Quantum hæc pietas illa ſedulitate coniuncta profecerit, exitus ipſe declarauit. Nam ille cælum atque terras tuens & regens Deus, vt eſt clemens ac miſericors, non aſpernatus fletum, & aſſiduas matris preces (nunquam enim illa dum Rex in periculo fuit cæleſtes orare deſtitit) eam vtrique mentem iniecit, alteri ne venientem expectaret, alteri ne inſequeretur recedentem; totumque

cunctumque Regnum mœrore, luctu, calamitate liberauit. Alphonſus per nuncios parentis, qui Regem præcurrerant, ex imminenti periculo ſeruatus cum eduxiſſet ſuos, & bis acie inſtructa Dionyſium inflammato dolore feſtinantem expectare decreuiſſet, & cum eo veluti cum hoſte ſigna conferre, ſemel ad Sintram, iterum ad Aluogar, qui vicus millia paſſuum abeſt ab vrbe, bis tamen repente mutata ſententia ſua ſponte diſceſſit ante certamen, incertum an reuerentia patris, an metu regis, cuius & cauſam, & vires ſuperiores eſſe non dubitaret. Ego magis id accidiſſe credo occulto Dei numine, cæleſtique inſtinctu, qui & Reginæ patientiam inſolentia filij ſeditioſi diutius volebat exerceri, & tantum eius animo, vel potius vniuerſæ Luſitaniæ vulnus infligi nolebat, vt filij ſanguine pater ſuum quanuis iuſtum odium exaturaret. Quamcunque ob cauſam non expectauit, cum à patre irato iratior ipſe diſceſſiſſet, venit eò; vbi mater remanſerat, (nam iamdiu non eam viderat) vt pro tanto beneficio quas referre non poterat, gratias ageret duci & parenti ſalutis ſuæ. Hîc eximia pietate mulier diligenter cum filio ſermocinatã eſſe dicitur, ſi fortè poſſet eius animum tam obfirmatum in iracundia, & tam durum oratione mollire. Quam ſibi chara eſſet ipſius non modò vita, ſed etiam dignitas per eos dies ſatis ſuperque cognitum eſſe aiebat. Amare ſe quidem filij ſalutem; impietatem & audaciam iuuenilem nec probare, nec ferre poſſe. A quo enim diffides? quem oppugnas? in quem aciem dirigis? Cui dignitatem ſuam vi, & multitudine armata eripere conaris? Prætereo humanas,

nas, diuinaſque leges, atque iura quæ contemnis: nihil de pœnis diſſero, non illis modò quæ in regione ſceleratorum ſunt præparatæ omnibus, qui fraudes inexpiabiles conceperunt, ſed ne illis quidem, quæ ſunt in impios filios viuentes adhuc & ſentientes conſtitutæ, & tanquam domeſticæ furiæ nuſquam eos conſiſtere ſinunt; quas tu fortaſſe, quia nondum præſentes cernis, nuſquam ad futuras putas; Hoc enim eſt iuuenilis commune vitium, præſentibus tantum bonis & malis duci, ac moueri: futura longéque remota paruipendere. Sed ſi illa negligis, quæ dies atque noctes omnibus improbis impendent, contemnere potes amorem, & indulgentiam patris? Quas ille contentiones? quæ certamina? quos bellorum fluctus non vltro ſubijt, vt tibi daretur pro dignitate coniux regia ſtirpe orta? Quas verò pecunias? quæ oppida? quæ ornamenta regiæ maieſtatis, & inſignia ſupra ætatem tuam ſupra conſuetudinem puero penè infanti non tribuit? Pro his tot beneficijs eam tu refers parenti gratiam, vt eum ſenem ablato imperio priuatum reddas, per quem ipſe ne puer quidem fuiſti priuatus? An ideo te genuimus, vt haberemus domi, cuius manibus occideremus? Iſtene tali vxore, tantis omnium rerum copijs ornauimus vſque à prima pueritia, vt noſtram iam extrema ſenectute diriperes patrimonium dignitatis? Quid ſentire credis Luſitaniæ principes, quid animi habere miſeram plebeculam? Quid ſperare ciuitates fideliſſimas? Téne in ſumma poteſtate commodum, & tui cognoſcentem fore, cuius paulò amplius, quam priuati contumaciam ne ipſe quidem pater poſſit ſuſtinere? alienis re-

nis [illegible] optime [illegible] & humanum præbiturum, qui bellum [illegible] habeas indictum eſ, & qui vitam acceperis [illegible] moderatè regnaturum, qui tam [illegible] tibi munias ad regnum viam? [illegible] prohibiturum, qui ipſe [illegible] quodammodo [illegible]rus? Iucundum tibi fore [illegible] cui viliſſima ſit optimi & [illegible] patris vita? Quod ſi animi grati laudem facile ſpernis, ingratus; ſi illam ipſe dignitatem pro nihilo ducis, moueant te preces, lacrymæque Matris, cui bis iam vitam illam, qua frueris, debes: moueat miſera & [illegible] ſenectus Dionyſij patris tui, qui nunc dolet, ſat ſcio, & angitur tantis malis, acerbeque deplorat [illegible] tuam, & illius ſententiæ tam deteſtabilem [illegible]. Obſerua, cole, ama regem & parentem tuum, ei pare, eius dignitatem tuere, iram extimeſce, vitam ante fer ſaluti tuæ: Me ne, inquam, [illegible]las, quoties in ipſum caſtra moues? Hac vel non multum abſimili oratione, quæ cuiuſuis etiam alieniſſimi animum commouiſſet, ac fregiſſet, Regina cupida pacis filium flens à bello faciendo fruſtra deterrere contendebat. Altius enim in pectore infixus erat ille partim ab inuidia, partim a cupiditate profectus dolor, quam vt cuiuſque verbis leniri poſſet. Non ignoro ſcriptum [illegible], hæc Alphonſo iam à ſancti Vincentij [illegible] fuiſſe geſta. Sed veri ſimilius videtur cum eò iret, accidiſſe. Verum Alphonſus a matre digreſſus nihilo factus eius oratione melior, [illegible], Conimbricam conceſſit: vxorem, liberosque ſuos [illegible]

extra Luſitaniam, quo eſſet ad id bellum, quod parabat, expeditior: Conuocauit omnes vndique clientes ſuos, expoſuit pericula, quibus defunctus eſſet, mala quibus vrgeretur: ſuam vitam, ſuum ſanguinem nullam ob culpam ſuam, tantum ob inſitum quoddam patris odium omnium telis & gladijs peti, ſi qua ſpes reliqua ſit ſalutis ſuæ, eam omnem ſpem; in fide & virtute ſuorum habere collocatam: ſi ſe ipſi deſtituiſſent, quo ſe verteret non habiturum illum quondam vocatum hæredem regni. Hæc paucis queſtus, quid facto opus eſſet, oſtendit. Permoti erant omnium animi, grauis tempeſtas imminebat: quam Rex vt orientem comprimeret, omnibus ciuitatibus quid ageret filius, quid machinaretur; ſignificat: edicit, quicunque partes eius ſequeretur, aut in oppida, Caſtellaque reciperent, ſe eos in proditorum, & transfugarum numerum ducturum. Receptus eſt tamen à Lerienſibus, cuius rei nuncius vt perlatus eſt ad Dionyſium Scalabi commorantem, commotus eſt ille vehementer, timere cœpit, ne tam periculoſa contagio defectionis latius manaret. Eliſabeta erat ea mente, qua fuerat ſemper, vt & filium ſaluum eſſe vellet, & impietatem eius in regem deteſtaretur. Tuebatur regis deſignati vitam Luſitaniæ tam neceſſariam, animi iuuenilis impetus Reipublic. tam pernitioſos deprecabatur: filium morigerum patri, patrem filio placatum videre cupiebat. Iccircò tantum antea elaborarat, vt periculum ab eius capite propulſaret, non vt iuuaret audaciam Alphonſi, ſed vt impediret Dionyſij furorem, non quod probaret il-

lius ſcelus, hunc odio dignum eſſe iudicaret, ſed quod diſcordiæ domeſticæ miſerum illum, & exitiabilem exitum arbitraretur, vel filij necem, vel calamitatem patris. Non tamen defuere, qui ſanctiſſimæ fœminæ conſilium improbarent, & cui omnes æqui rerum æſtimatores, regni totius incolumitatem referrent acceptam, eius pietati, ſtudio, diligentiæ, non dignam factis pœnam dari oportere cenſerent. Adeunt nonnulli regem periniquo in Alphonſum animo, docent vnam reginam obſtare, quo minus parenti pro ſuo iure in ſceleratum filium animaduertere liceret. Non eſſe ferendum, pluris eſſe matri vitam ſeditioſi filij, quàm vxori maieſtatem præſtantis viri: magis eam indulgentia muliebri, quam coniugali charitate commoueri: inſolentiam iuuenis peruicacis alere, fouere, deſpicere miſeri dignitatem, & grauitatem ſenis. Si ſapis, ſegrega vxorem, adime Caſtella cum vectigalibus, trade in liberam cuſtodiam: ea præſente nihil tam occultè fieri in Alphonſum aut decerni poterit, quod ille non continuò reſciſcat. Pecunias verò ſuas dum mater retinebit, quid filio defuturum putas? non ſatis expertus es, quam facilè eius prudentia ad nihilum recidant tua conſilia, cum diligentiam illam tantam omnium celeritate ſuperarit, & ex tuis manibus eripuit iamiam ferè captum hoſtem? expectas, vt tu ipſe vinctus, graſſatoribus, & latrunculis dedaris, vt arbitratu ſuo pœnas pro ſuis facinoribus de te ſumant? nil verius, nil melius viſum Dionyſio. Eliſabetam amandat Ierabricam: inde egredi, aut aliò ire vetat: eripit omnia, quæ ante dederat, ſum-

p[illegible] tantum frumento, cæteriſque rebus dari iubet. Paruit modeſtiſſima fœmina viri voluntati: ne verbum quidem dixit, quo minus in illam cuſtodiam daretur. Breui Luſitaniæ fines, non ſolum de illa ſeiunctione fama, ſed triſtitia etiam peragrauit. Veniunt ad eam Caſtellorum, quæ habuerat, præfecti: quæ audierant, vera eſſe comperiunt; exclamant animi dolore, ferri non poſſe tantam indignitatem rerum: ei ſe iureiurando ſolenni obligatos & obſtrictos eſſe: obſecrare, vt ſecum in ſua caſtella ire vellet: eſſe viros, eſſe arma, quibus reginam ſuam in priſtinam dignitatem reſtituerent; neque ita occidiſſe virtutem patriam, vt regiam crudelitatem non poſſent vlciſci. At illa, ſe quidem nihil de priſtina fortuna deſiderare dicebat; illis anguſtias rei familiaris, atque loci ſibi eſſe ac ſuis ſatis: quod rex vellet, decerneret, iuberet, id gratum, iucundum, ſuaue futurum: ibi libenter futuram, vbi eſſe iuberetur, quandiu vellet, qui imperauiſſet; cùm commodum ei videretur, fore, vt ipſe ad ſe arceſſeret, qui ablegaſſet, & redderet omnia, quæ abſtuliſſet. Non eſſe neceſſe, neque expedire ob eam cauſam bellum facere, nouoque terrore augere tantum malum inteſtinum, atque domeſticum. Moleſta & grauis erat Eliſabetæ famulis hæc lenitas & modeſtia, ſuas iniurias contemnentis. Monebant ſinguli, ne tam ſingularem, tam obuiam talium virorum voluntatem aſpernaretur: nonnunquam etiam obſecrabant, vt bellum à ſuis Caſtellis geri vel iuberet, vel certè pateretur: ſic breui futurum pollicebantur, vt in integrum reſtitueretur. Maluit tamen eximia manſuetudine, pie-

tate,

tate, ſummiſſione mulier priuatas iniurias, omnes indignitates, & acerbitates ſola perferre, quam ſpoliari, & trucidari videre multos innocentes excitato bello. Imperauit autem iis, qui caſtellis præerant, ne quem inde motum naſci paterentur; quam ſibi ſemper præſtitiſſent, eandem ſemper fidem ſeruarent. At Dionyſius vxore remota, quam ſuis conſilijs multum officere credebat, ad Leiriam oppugnandam aduolat, pœnas doloris ſui ab illis repetiturus, qui contra propoſitum edictum Alphonſum intra munitiones accepiſſent. Plurimos eorum ex Monachorum Ciſterrienſium templo, quod eſt Alcobaciæ, quò metu confugerant abductos iam ad ſupplicium traditurus erat, quum repentino nuncio ad Scalabim recipiendam, quã filius vi irruperat, aduocatus eſt. Inde igitur quum aduenientem filius fugiſſet, ſcripſit ad præfectum Leirienſis arcis, vt extremis ſupplicijs afficeret, qui fuiſſent autores recipiendi Alphonſi, præter illos, qui ad Aſylum Alcobaciæ confugiſſent: eius templi religionem plurimum apud ſe valere velle, quæ ſemper apud maiores ſuos ſanctiſſima fuiſſet: Nouem oppidani facilè principes ſuæ Ciuitatis pedibus prius amputatis cremati ſunt, quod more noſtro ignominioſiſſimum habetur ſupplicij genus. Alphonſus autem excluſus vndique Conimbricam venit, Montis maioris cognomento veteris arcem expugnat in eadem ripa Mondæ: ad vrbem Portum paulo ſupra Durij oſtium impoſitam deinde contendit: ex itinere duo Caſtella Feriam, & Gaiam capit, quorum illud Langobrigæ, hoc Cale creditur fuiſſe quondam: ipſam vrbem nondum cinctam mœnibus faci-

fiſci redigit in poteſtatem. Acceſſit eodem Petrus commemoratus frater ex Caſtella, vbi cauſa ipſius, rebus omnibus amiſſis, exulabat, euocatus: adiunxit ſe ſocium & participem fortunarum omnium. Vimaranas quum ab oppidanis mœnibus excluderentur, oppugnarunt primo, deinde circumſederunt. Ibi nuncij Dionyſium iam ſatis commotum ſuperioribus rebus magnoperè perculerunt: qui aduerſus filium imperatorias artes quærere coactus, opulento exercitu conſcripto Conimbricam obſedit, quod vnum certiſſimum, ac tutiſſimum receptaculum filio patebat, vt ille periculo ſuo & ſuorum auocaretur ab oppugnatione Vimaranarum: Et quanuis inuitus multumque tergiuerſans retraheretur, re cognita iuuenis ſibi timens, obſidionem ſoluere properauit, opem ferre laborantibus. Sed quoniam ad vrbem circunuallatam ex omni parte ſine periculoſo certamine non poterat adiri, ſpe pacis & compoſitionis oblata, pactus eſt cum rege, vt aliquo tantiſper concedens Conimbricam metu liberaret. Conceſſit ille cum ſuis ad ſancti Martini mille paſſus ab oppido, ſecundo à mœnibus vel paulò amplius. Compoſitio in diem ex die differebatur. Dionyſius ægrè ferens ſpecioſis conditionibus ſe deceptum eſſe, rurſus Conimbricam verſus caſtra mouit: ad ædem ſancti Franciſci, quam ædem iuxta pontem ſitam eſſe diximus, conſedit. Illo aduentu ſuburbana ædificia, quæ muro non continebantur, partim diruta, partim ſpoliata, vallum vtrinque circundatum, multa leuia prælia pro mœnibus commiſſa, cædes indigniſſimæ, & maximæ ciuium inter ſe factæ. Nam quum alij alium, impetu quodam animi cæco, ſequerentur, alij aliud clamarent; amici ab amicis, fratres

tres a fratribus, parẽtes a liberis, liberi a parentibus, per imprudentiam, miserandum in modum, trucidabantur. Erat illud ſpectaculum funeſtũ ac luctuoſũ, quum ſubitò mærentes illos ac lugentes videres, qui modò victores propinquum aliquem, aut neceſſariũ pro hoſte iugulauiſſent, & quos viuos ante peremiſſent impio ferro, eoſdem mortuos magni animi dolore cum lachrymis & eiulatu deſiderarent. Omnino res ad interitum ſpectare videbatur: nec prius vel oppugnandi vel reſiſtendi finem facturos apparebat, quam alteruter victus profligatusq́ue ceſſiſſet. Dum hæc alibi geruntur tanta contentione, tam infeſtis odijs omnium, interea ſanctiſſima Regina, haud ignara quanto in diſcrimine verſaretur & filius, & maritus; quanta calamitas peruaderet per totam Luſitaniam, cum omnes vndique mulieres, quas honeſtius & religioſius viuere ſciebat, conuocaſſet, vnà cum eis in illo quaſi exilio vel potius carcere, mirabili quadam cibi continentia & pietate viuebat. Multæ hebdomadæ cuiuſque diebus ſemel tantum cibum capere, nihil præter panem, & aquam, ad victum adhibere, quantum temporis rebus cæteris etiam quieti neceſſariæ detrahi poſſet, tantum ad iram Dei placandam in ſacris precationibus, in obſeruationibus, in ſacrificijs, quæ multa fieri iubebat, conſumere, perfundere pijs lachrymis aras, precari, & orare Deum, vt illum tantum motum, & tumultum ope aliqua cæleſti comprimeret, ſedaret iuuenis temeritatem, mitigaret iram ſenis, ſuccurreret rebus afflictis, & labentibus: non poſſe regnum illud eſſe diuturnum, in quo filius cum Patre tam infenſo & inimico animo certaret, ſe quidem iam diu eſſe commeritam, vt omnes animi dolores & corporis o-

mnes aſperitates rerũ, omnes ærumnas ſuſtinere co-
geretur, & ea videret præſens, quæ ne abſens quidem
ſine luctu poſſet audire. Quid tamen illos meruiſſe,
qui obijcerentur hoſtium telis? quid illos, quorum
corpora lacerarentur, bona diriperentur, agri incẽ-
derẽtur, ædes diruerentur? quid illos qui vitã tanto
labore, & ſudore propagatã ferro redderẽt? parceret
miſeris, ferret opẽ ſupplicibus, ſubueniret innocen-
tibꝰ, peſtem illã in dies latius ſerpentẽ ſuo numine
& bonitate prohiberet. Vt verò audiuit, qui [illegible]
pro Conimbricę mœnibus dimicarent, quantæ ciui-
um strages ederentur, quam inflammati eſſent animi
omnium, dolore ac mœrore perdita quid ageret, quo
ſe verteret, neſciebat. Cũctari diutius exitioſum, ad
prœliũ dirimendum cõtemnere regis imperium ſu-
perbum videbatur. Luſitaniã ad interitum ruentem
intueri dolore intolerando, regi quamuis iniuſtã im-
peranti non obſecundare nefas ducebat. [illegible]
tandem regiæ dignitati, autoritati, ſaluti que conſule-
re, id demum eſſe obtemperare regi. Dionyſium cau-
ſa cognita, non in meliorem modo partem interpre-
taturum, ſed etiã pietatem erga omnes. Studio con-
ſeruandi regni laudaturum, [illegible] repente ex illa
cuſtodia Conimbricam petit, virum adit, cum filio
ſermocinatur, conuenit principes viros vtriuſque
partis, præter cæteros Petrum Comitem Alfonſi fra-
trem, non ceſſat, non conquieſcit, non defatigatur,
alios orat, alios deterret, alijs ſupplicat, alijs promit-
tit, adhibet omnes machinas, verſat ſe huc & illuc,
flectit pro fletu mentes omnium; efficit vt ab armis
diſcedant, aliquo ſe conferant, vbi ſine ſtrepitu ar-
morum, ſine ſanguine, cognitis filij poſtulatis,
quæ æqua viderentur, conceſſis, omnia per [illegible]

[illegible]

bonos, & religioſos, & a ſeditione remotos con-
ſtituerentur. Dionyſius inſpirata pace, & tranquil-
litate, non ſecus ac ſerena [illegible] tem-
peſtate orta lætus, & prope [illegible], [illegible] ſo-
luta, Leriam cum omnibus copijs contendit. Eliſa-
beta cum filio ad Pombalium venit, qui vicus [illegible]o
fere & viginti millia paſſuum diſtat à Conimbrica;
ibi res eſt ad hunc modum compoſita. Rex Alfon-
ſo Conimbricam, [illegible] Por-
tus vrbis, in qua eſt templum [illegible], conceſ-
ſit, ingentes porrò pecunias [illegible], impunitatem
omnium, quæ [illegible], tum ipſi,
tum [illegible] partes ipſius ſecuti fuerant, dedit. Pe-
tro Comiti & ignouit, & quæ fuerant ablata re-
ſtituit. Alfonſus hiſce rebus incredibiliter gau-
dens, maxime venia tributa Petro fratri, in æde
ſacra Pombalij coram regina [illegible], multiſque
principibus viris publico, ſolennique [illegible]
iurandum patri dedit; primum, omnes alicuius
ſceleris conuictos & quos haberet in comitatu ſe
eſſe dimiſſurum, & quos nanciſci poſſet more ma-
iorum ad ſupplicium traditurum. Deinde re-
gi tanquam parenti, dominoque ſuo domi mi-
litiæque [illegible] futurum. quæcunque accepiſſet,
ad eius voluntatem, atque [illegible] gubernatu-
rum, hoſtes & amicos communes putaturum. Ad
idem iuſiurandum primos quoſque de ſuis ad-
[illegible], quo pax eſſet firmior, &
ipſa [illegible] conceptis verbis. Dici non po-
teſt quantam lætitiam attulerit vniuerſæ Luſita-
niæ illa tam [illegible], & tam inexpectata con-
cordia. Quanto enim maius fuerat periculum,
buanto grauior, & [illegible] illius calamitatis

tempeſ-

mnia atque [illegible]ila. Fit certior pater filium in vrbem redire velle: monet ne veniret, aduentum ipſius in præſentia neque neceſſarium, neque vtilem videri. Sciebat enim aut certè ſuſpicabatur, aliquid eum occultè machinari. Alfonſus neſcire reſpondit, cur filius parentem inuiſere, & officijs debitis proſequi prohiberetur: ſe tam iniuſtis imperijs non obtemperaturum, neque intermiſſurum inſtitutum iter. Obſtupuit rex tam ſuperbò nuncio: partim dolore, partim ira furens quam maximas potuit copias comparat. Vbi ad octo millia paſſuum ab vrbe prope Aluogas Lauras accepit perueniſſe iuuenem, procedit obuiam venienti inſtructa acie, nuntiari iubet, niſi è veſtigio retrò, vnde venerat, reuerteretur, [illegible] malitque victum & coactum rediturum. Non paruit iuuenis, audacia præceps. Admouit exercitum propius, omni ratione, contra voluntatem patris, ad vrbem nitebatur accedere. Ibi, quod nunquam ante vſu venerat, tam multis & tam grauibus contentionibus, permiſſu Dei accidit, vt filius cum Patre in acie pugnaret, præter cæteras cauſas quæ ſunt ſoli illi notæ, qui permiſit, quo magis Eliſabetæ magnitudo animi perſpiceretur. Stabant hinc inde duo nō bene armati ſolum; ſed etiam directis ordinibus inſtructi iam ad pugnandum exercitus. Grandis natu parens excludere filium mœnibus vrbis conabatur; ex altera parte filius iuuenili pertinacia & temeritate in vrbem irrumpere contendebat. Ciues ciuibus, arma cognata cognatis armis, ſigna paria paribus ſignis, quina ſcuta ſcutis quinis minabantur. Summa erat expectatio, quo res tandem eſſet euaſura. Ecce iubet vterque ſigna canere. Tollunt milites clamorem, concurrunt, nec iam agitatio a[illegible]

[illegible]do.

telorum, ſed vulnera & ſanguis & nonnulla ſtrata cadauera conſpiciebantur. Affertur tanti mali nuntius Vlyſſiponem. Regina, quæ, vt in ſimilibus periculis facere ſolebat, totum a profectione Dionyſij tempus in placando Deo collocabat, timuit, ne priuſquam adueniret, ingens calamitas alterutrū opprimeret. Mulā ſterni imperat, aſcēdit quanta maxima celeritate poteſt, cōtendit ad pugnæ locum. Nemo regio more ducebat fræno, nō ſolita nobiliū matronarum & virginū frequētia ſtipata erat, vix domeſticorum quiſquā euolantē ſequebatur: nullā putabat interponendā moram dirimendi tam atrox periculoſumque certamē. Ventū erat ad ipſas acies, fortiter vtrinque certabatur. Alij ſpicula in hoſtem immittebant: alij fundis lapides antiquo pugnādi genere torquebant: nec reginæ aduētu, aut hi aperire, aut illi intercludere via ferro deſiſtebant. Cum cæteri qui Eliſabetam erant proſecuti periculi magnitudine perterriti ſtuperēt, nō timuit illa militum clamorem, nec ſplēdorem armorum, nec volitantiū telorum ictus, nec ſanguinem fluentem, neq; fuſa humi corpora: ſola per medias acies confertiſſimas currens circum aures ſtridentibꝰ telis [illegible] huc & illuc, filium alloquitur, grauiter [illegible] reprehendit cōtumaciam, deteſtatur perfidiam: auſum eſſe contemnere voluntatem matris & eius patris, cui tantum deberet, quantum nullis vnquam officijs cōſequi poſſe? nō eſſe veritū eo aſpirare conari, hominibus coactis & armatis, vnde patrijs imperijs prohiberetur? non Dei immortalis metu, nō iuriſiurandi religione eſſe cōmotum? nō metuiſſe hominum famam atq; ſermones? rogat vt retrocedat cum ſuis. Si ſuam ipſe fidem negligeret, id tribueret religioni matris, quæ ipſius impulſu & oratu eodem ſe iureiurādo obſtrinxiſſet.

Alfonſo partim precibus, partim materna authoritate placato, ad regē adijt, ætatiſq; excuſatione ſuppliciter mans deprecatur odium: obſecrat, obteſtatur, vt in audacia & temeritate iuuenili, oſtenderet ipſe quantus ſit moderationis ſenilis & grauitatis ſplendor. Facile flexit mitiſſimum patris animum ad miſericordiam. Venit Alfonſus ad Dionyſiū hortante matre, ſed tamen comitatus equitibus, dominum regemq; ſuum appellat, veniā petit. Rex grauiꝰ eā & ſeuerius aliquandū ratus cū filio toties rebellante: Fateor, inquit, habeo fortiſſimis & fideliſſimis hiſce militibus, qui te repugnante & præſumente tibi virtute ſua mihi parere coegerūt, Scalabim reuerti iubet. Vincitur, eliſt, ſi vnquam iterum ab officij religione declinauerit, eò ſe ipſū deuolaturū, & obtorto collo reducturum ad obedientiæ cancellos. Non multo poſt, anno ſequenti menſe Febr. quo rex erat forte ... vtriuſque domeſticis tumultus exortus eſt: ſed bonorū diligentia ſedatus. Deinde per viros vtriuſq; delectos grauiſſimis pœnis ſancitū fœdus finem tandem attulit tam pernicioſæ diſcordiæ. Talis Alfonſus extitit priuſquam imperium obtineret. Hęc eius fuit in parentē præſtantiſſimum regem impietas, quam ideò credo Deus opt. max. tam longè progredi permiſit, vt Eliſabetæ patientiæ ac pietati facultatem & materiam daret. Hæc regina in vtroque placando & ſeruando induſtria & labore. Sed poſt deceſſum patris adeptus ſummam poteſtatem & maleficia acriter vindicauit, & latrocinia compeſcuit, & veſtrarum ſtudiorum dignitatique conſuluit, & omnibus æquum ſe & moderatum & placabilem præbuit, præterquam Alfonſo Sanctio fratri, in quē euomuit omne virus acerbitatis ſuæ. At Deus grauiſſimus ſce-

ſcele

Iuris vindex & dignitatis patriæ aſſertor, iuueni-
lem ferociam impunitam, & liberam eſſe non eſt
paſſus: nec in eodem genere, in quo fuerat ipſe mo-
leſtus Dionyſio, pœnas atrociores tanto dignas ſce-
lere perpendit ſeni. Nam Petrus eius filius, hæreſque
regni, cui crudeli cognomen facta indiderunt, Agne-
tem quandam generis cognomine Caſtrenſem, cui
iam antea oculum adiecerat, poſt vxoris Conſtantiæ
mortem, palam habuit amicæ nomine, & ex ea libe-
ros ſuſcepit, quam quum Alfonſus imperaſſet inter-
fici, veritus ne Ferdinando nepoti ſuo venenum oc-
culte daretur, vt ad eius filios regnum deueniret, ille
furens dolore atque amens, inita cum duobus fratri-
bus ipſius ſocietatem, qui in Caſtella longe lateque
dominabantur, plurimos vndique facinoroſos ho-
mines collectos aggregauit, bellum exitiale intulit
patri, eam partem prouinciæ Tarraconenſis, quæ mo-
do Luſitaniæ contributa duobus fluminibus Durio
& Minio continetur, hoſtiliter vexauit: compoſitio-
ne tandem aſſecutus eſt, vt vbicunque verſaretur, im-
perium atque iudicium [illegible] haberet; non mo-
do priuatarum, ſed etiam capitalium rerum cogni-
tionem, carcere, occidere, in exilium agere, bonis
mulctare poſſet, condemnatorias literas, edicta, decre-
ta daret, conſilium iudicum haberet, qui omnibus re-
gis iudicibus, & præfectis vrbium ſuperiores eſſent.
Non iniuria profecto accidit, vt ei filius inferret ar-
ma, qui toties manum armatam habuiſſet in patrem, &
victus in ordinem redigeretur, qui genitorem ſuum
aggreſſus quodammodo fuiſſet ſpoliare regno. Ve-
rum, vt ad inſtitutum noſtrum redeamus, præter ea
quæ ſuis quæque locis mirabiliter accidiſſe dixi-
mus, duas res alias non minus admirabiles ope diui-
na per-

na perfecit Eliſabeta, quas iccirco reiecimus in hunc locũ quod in diſtributione generum, nullum proprium habere videbātur, neque quo tempore geſta fuiſſent conſtabat, tantum poteras intelligi ante Dionyſij mortem contigiſſe. Eſt in amœniſſima valle [illegible] fere millia paſſuum ab Vlyſſipone, nec copia nec nobilitate poſtrema virginum ſacrarum diui Auguſtini diſciplina: quæ antiquiſſimis inſtitutis antea vrbem, interdum, & quorum vellent domos adeuntes egrediebantur certa lege atque præſcripto, nunc regis Ioannis tertij cura & diligētia, qui hiſce moribus, quæ nunc ſunt, eā conſuetudinem non conuenire ſapienter exiſtimauit, coercitæ ſeuerioribus præceptis & aſtrictæ, oculos hominũ, & colloquia deuitantes, in abdito religioſiſſimè vitā agunt. Chelis loco nomē eſt, cauſa nominis incerta. Ex eo collegio Margarita quædā nobilis, & religioſa mulier reginā in vrbe cōmorantē inuiſit aliquando. Pallebat os, totũ corpus horrebat macie, apparebat omnino perdita eſſe valetudine. Rogat regina causā tantæ tenuitatis, atq; palloris. Super ſtomachũ inquit, tubernatum eſt, quod me magno dolore, & cruciatu afficit. Signauit illa cruce partē ęgram, manũ impoſuit, in Parthenonē reduxit, vbi Margarita & tumorē omnem reſediſſe, & dolorem vniuersũ exhauſtum eſſe cognouit: quod deinde locupletiſſimis teſtimonijs planũ factũ eſt, & in tabulas publicas velatũ. Mulier palā loquebatur, docebat vnũquemque ope reginæ mirabiliter morbo grauiſſimo ſe eſſe liberatam. Certior hęc Eliſabeta, ait propē nihil nihil in illo Parthenone, niſi hoc, quæri ex Margarita quemadmodum ſalus eſſet reſtituta: illam autē reſpōdere cum vniuerſis, tum vnicuique ſigillatim admirabili reginæ virtute, &

diuinitus data poteſtate. Mulierem ad ſe arceſſit, grauiter accuſat, quod eiuſmodi de ſe ſermones habuiſſet: imperat vt id facere deſiſtat. Seſe fœminam eſſe mortalem ſimilem ipſius, nihilo cæteris meliorem, multis magniſque peccatis coopertam. Si quid accepiſſet beneficij, id non ſibi, ſed Deo omnium bonorum autori acceptum referri oportere. Humiliter enim ac demiſsè de ſe præſtanti pietate & religione homines loquuntur & ſentiunt, & quo diligentius diuinis præceptis ac legibus obtemperant, eo ſe humiliores ſeruos, & pigriores eſſe arbitrantur. Sed & hæc, & quæ ſupra numine diuino per Eliſabetam geſta eſſe memorauimus, non magna cenſenda ſunt, ſi cum eo quod ſubijciemus, conferantur. Aliquando Regina profecta eſt Conimbrica, Portum vrbem Arrifanam venit, qui vicus ad quindecim millia paſſuum abeſt ab oppido. Proceſſit obuiam mulier quædam tenuis & ruſticana, filiolam cæcam ducebat ſecum, quam ita natam fuiſſe confirmabat: haud neſcia quanta eſſet Eliſabetæ ſanctimonia: ſimul cogitans, quam multæ, magnæque res hominum excellenti virtute [illegible] efficerentur. Orabat ſupplex, vt oculos puellæ tantum manibus attingeret. Sperabat ea re futurum, quod eſſet cæcitatem. Illa quanquam applauſum, & laudem popularem, quæ maxime eſt inimica virtuti, fugiebat, tamen vt erat animo, & humana, vicis obſecratione, & miſericordia puellæ, tanquam aliud agens morem geſſit voluntati matris. At verò Deus oſtendit non modo quanti faciat ipſe ſuos, ſed etiam quantum valeat ad impetrandum ſpei fiduciæque plena poſtulatio. Pauci namque dies interceſſerant, redijt eodem ſanctiſſima regina. Occurrit exultans, & geſtiens lætitiam cum filiola ſua mater: puellam integris oculis probeque affectis

ad [illegible]

ad ſuũ munus fungendum productus, gratias agit ingentes pro tanto beneficio, non quidem aggreſſi quæ ſermone, ſed magno motu ſimplici quodam animo, & non mediocri gratæ mentis ſignificatione. [illegible] Deo non ſibi tantũ bonũ deberi docet, illi gratias agendas immortales, illius magnitudinẽ & benignitatẽ prædicandã, in cuius manu poſita ſint omnia: [illegible] oculos, Deũ reddidiſſe lucem. Iubet rem diſſimulari ſilentio, nemini quicquam de ſe loqui, id quod facile conſequeretur, [illegible] quod dixit paſſa eſt quid illic accidiſſet, commemorauit coram. Verũtamen multi eius domeſtici & puellæ cæcã eſſe ortã, & reginæ tactu ipſo deſpexiſſe, compertum habuerunt, & poſteaquã exceſſit è vita iurati pro teſtimonio dixerũt. Iã annus fere lapſus erat à conſtitutam pace, quum Dionyſius Scalabim profectus, vt erat ætate graui, & imbecilla valetudine, cecidit in morbum, qui quũ itineris iactationem ferre non poſſet, à lecticarijs in oppidũ illud, quo intendebat, deportatus, ſatis vehemẽter diuq; ægrotauit more ſenum. Erant qui decubenti non diligenter modò, verum etiã officioſe & amãter inſeruirẽt: nulla in re vxoris induſtria, & cura deſiderabatur, quũ ſine vllo eius labore fieret et á ſenili moroſitati ſatis. Cæterum regina, quæ erat eius animi ſubmiſſio, & charitas erga virũ, non tulit præripi ſibi ſuum munus, neque conſentaneum eſſe duxit, foris vllo quærere miniſtrandi occaſiones, prætermittere [illegible] oblatas domi: alieniſſimorum hominum morbos abſque faſtidio curare, contemnere periculum, & afflictationem viri. Et ſe diuino & humano iure, & tam longa conſuetudine vitæ obſtrictam & obligatã eſſe videbat: coniugis bonæ partes eas exiſtimabat, neque ſecunda, neque ad-

verſa valetudine deeſſe marito, viuenti obſequi, imperanti parere, ſeruire morienti. Ergo quod fœminæ tenues non ea dignitate & autoritate præditæ, quum non habeant à quibus adiuuentur, vulgo faciunt in periculis virorum, id de illa in tanta poteſtate & ancillarũ multitudine libenter faciebat, quoad ferrent corporis vires, & rex ipſe pateretur. Patiebatur autẽ ille reginã longius in officio progredi, quàm multis fortè par eſſe videretur, ipſius verbis inductus, exoratus precibus, victus voluntate, cui vitam ipſam inſuauem, & moleſtam futuram eſſe cognoſceret, ſi ab illo tam iucundo munere prohiberetur. Poſt vbi ſenſit Eliſabeta mortifero morbo vrgeri virum, & ab ipſis medicis eſſe deſperatam eius vitã, apud eos qui aderant (aderant autem multi mortales) huiuſcemodi orationem habuit. Semper ego precata ſum à Deo Opt. Max. viri fideliſſimi, ne hunc tantum, ſi ipſũ videretur, daret animo meo dolorem, vt regem meũ atque veſtrum, quem vnicè dilexiſſem in vita, viderẽ morientem, ſed eum potius ad quietem ſalutemque publicam mihi diu ſuperſtitem eſſe pateretur. Quod ſi aliter atque ego optarem vſu veniret, vt in hac tanta inconſtantia, & varietate rerum humanarũ accidere poſſe videbam, petebam, vt reliquam vitam vili & obſoleto habitu, qualem S. Clara ſuis virginibus reliquiſſet, mihi conficere liceret. Hoc animo iã multos annos veſtem ex eo genere factam domi ſeruo, teſtem quandam huius meæ perpetuæ voluntatis. Nunc cerno adeſſe tempus illud, ipſi fælix expectanti vitam cumulatam omnibus bonis, mihi non rarò magnoperè cũ mea, tũ verò veſtra cauſa reformidatũ: ſed nullo humano cõſilio prohibendũ, nullis noſtris opibus vitandum: quo tẽpore ille mundi rector

Diony-

Dionyſium ſolutum his vinculis corporis & ereptũ nobis transferat, vt ſperamus in regionem beatorum. Quod igitur iam tanto ante conſilium habebã, id modo vobis approbantibus faciam libenter, defunctaq́ue matrimonij curis ad ea ſtudia me referam quibus fui vehementer ab ineunte ætate delectata: ſed ita referam, ne videar abieciſſe veſtri curam: Non enim eſt in animo vlla vota nuncupare, aut ſolenni ritu diſciplinæ S. Claræ profiteri. Non honeſtiſſimorum virorum & virginum atque matronarum ornatiſſimam familiam dimittam, nihil de numero diminuam: retinebo poſſeſſiones atque pecunias mihi attributas à Rege, quarum curatione, diſpenſationeq́ue ſuſcepta, multò plures quam adhuc habui virgines adiunctas mihi ducam in filiarum numero, & loco, ac pro cuiuſque animo copiiſque meis vel in matrimonium collocabo, vel in collegium aliquod ſacrarum virginum curabo cooptandas. Denique nullis aſtricta legibus, & inſtitutis, ſpõte mea, humili contemptoq́ue veſtitu ita degam, quod reliquum eſt vitæ, vt omnẽ induſtriam ope diuina conferam ad homines ſubleuandos, & facultates meas liberè diuidam, quibus velim, præſcripto, atq; norma diuinæ voluntatis. Quæ cum ita ſint, viri fideliſſimi, nihil erit quod commoueamini, vbi me mutato genere ipſo veſtis intuebimini; erit potius quod gaudeatis, ſi in tanto luctu omnium vllus poteſt eſſe gaudio locus, vel mea cauſa vel veſtra: mea quod mihi poſthac liberũ erit atq; integrũ obſequi ſtudijs meis: veſtra quod in alia vitæ ratione quæcunque in res alias impendenda forent, omnia deinceps in vobis ornandis, liberiſque veſtris & educandis & collocandis, & in iuuandis, ac excitandis egẽtibus conſumen-

tur. Paucis diebus ab hoc ſermone Dionyſ. 64. annũ agens, omnibus rebus quæ vel religioſũ virũ, vel bonũm patrẽfamiliæ, vel Regẽ decebat, ritè perfectis, à Chriſto nato 1325. menſe Iunio exceſſit è vita, vtroq; nomine clar⁹, etiã apud exteras nationes, tũ quod ſex & quadraginta regnauiſſet annos, tum quod plurimis & maximè regijs virtutibus fuiſſet ornatus. Habebat Eliſabeta annos 54. Quæ regis obitu ſibi renunciato, ſubitò ſe abdit in cõclaue cũ vna de duabus mulieribus, quas vt ſupra memoraui, ſibi ſtudiorũ ſuorũ ſocias delegerat, accepit ab ea demiſſe cũ eximio quodã animi ſenſu veſtem illam tot annis ante præparatam, & priuſquam exangue cadauer adornaretur more regio, quàm habitu nouo proceſſiſſet, multis ſtantibus, vt plerumque fit in funeribus regum. Quando inquit, me Deus omnium rerum moderator voluit eſſe ſuperſtitem viro, cuius incolumitate continebatur mea, ipſa hodierno die ſtatui, quẽ corpore nõ poſſum eũ animo & voluntate ſequi, [illegible] neceſſe ſit in hoc quaſi vitæ præſidio manere, quoad imperatoris iuſſu decedã, tamẽ ita viuam, vt mors hæc mea magis videatur, quàm vita, huius animi mei habitum impoſterum declaratura mortalib⁹, hanc tunicã obſoletam, & ſqualidã induam, quã vides, hoc me funiculo rudi & informi ſuccingam, hoc linteo cãdido velabo caput, nõ vt ad eam me referã diſciplinam, cuius propria ſint hæc inſignia, ſed vt in hac humilitate, & obſcuritate quodammodo deliteſcens, paulò liberius, vt debeo, omniũ Domino & gubernatori Deo quantũ ab illo mihi afflabitur cæleſtis auræ, ancillari poſſim. Mirabantur omnes vel charitatẽ aduerſus virum, vel ſtudium abijciẽdi ſeſe, vel ardorẽ animi, tametſi nemo mirabatur, quæ ſic vixiſſet vt illa cũ viro, vnã

illum

illius ablata, & quaſi fundamēta [illegible] reliquæ ſuæ vitæ. Tādem ornatur funus, pōpa procedit. Regina, vt erat fortis & inuicta, etſi magnū quēdā & intolerandū dolorem capiebat, tali vitæ ſocio & comite ab ſe auulſo & abſtracto, repreſſo tamen animi [illegible]tis motu proſequitur illū mortuū quem nunquā deſeruerat viuū. Aedificarat Dionyſ. virginibus Ciſtertienſibus Parthenonem ampliſſimū propè modicum aquæ riuum circiter ſex millia paſſuum ab Vlyſſipone iuxta vicum Odiuellas, quod inter venandum ab vrſi feri & immanis vnguib⁹, mediaq; morte [illegible] loco diuina ope ſeruatus, quē agris latis ac feracibus in perpetuū locupletatum, & aſylum atq; perfugium facinoroſis, & corpori ſuo poſt mortem receptaculū atq; ſedem voluit eſſe. Huc delatum cadauer, & incluſum magnifico ſepulchro, quod ipſe ſibi dū viueret, in templo S. Dionyſ. nomine dicato faciendum curarat. Sed Eliſabeta, cui moriēs ille negotium dederat, vt videret nequid ex teſtamento prætermitteretur, poſtquā iuſta fuerunt Regio funeri ſoluta omni ornatu, apparatuque præclaro, perdiu in eodem loco morata cū ſuis, facilè declarauit quāto in pretio & amore maritū viuentē habuiſſet, quē iā ſenſu vitaq; carentē omni ope iuuare niteretur, vt igne purgāte liberare, ſi illo fortè detineretur cruciatu, augere ieiunia, orare Deū, vt pro ſua bonitate prætermitteret, aut certè remitteret delictorū pœnas, ſolicitare cælites, vt illū ſua apud Deū gratia ſubleuaret, qui eos tā piè ac religioſè coluiſſet [illegible], ab omnibus virginibus ſacratis, vt idem facerent, poſtulare: multa ſacrificia ſingulis diebus fieri iubere, tum per monachos omnium familiarū, tum per ſacerdotes nulli addictos monaſticæ diſciplinæ: ingentes pecunias egētibus diuidere, ſuppeditare [illegible], præbere veſtē, cætera omnia

 imbue-

tribuere,quæ ſuppeterat ad cultũ atque victũ; nihil omittere,quod in illis tormentis acerrimis verſanti aliquid præſidij poſſet afferre. Sciebat apud Deũ maxima eſſe in gratia cæleſtes, multa per eos impetrare ſæpe ſolere,illorũ deprecatione magnã opẽ & ſalutẽ indigẽtibus ferre poſſe;ipſa porrò erat ea pietate, vt etiãſi non eſſet neceſſe obtinere quicquã,ſanctiſſimè tamẽ coleret,ac veneraretur ſuperos omnes,eorumque baſilicas quãuis longè diſtãtes adiret & ornaret. Infra finẽ igitur anni vertentis æſtate proxima, quæ ſecuta eſt interitũ regis,partim vt obſequeretur huic animo ſuo,partim vt cælitũ auxiliũ, ac miſericordiã imploraret,& expoſceret marito mortuo,longã ſatis & difficilẽ peregrinationẽ illi præſertim ætati ſuſcepit. Oppidũ eſt in Artabris,quos veteres inter Callaicas gẽtes numerauerunt, non longè à Nerio promontorio,quod hæc ætas terrarũ nominat extremũ, non fama quidem bellorũ inſigne, aut tectorũ magnificentia, ſed omniũ pene gentiũ, exterarumq; nationũ religione nobile, Compoſtellã vocant eius,olim Ianaſum dictum fuiſſe, & incertũ pro certa nonnulli tradiderunt. Situ eſt in æquata quadã agri planicie,magna copia perenniũ aquarũ,& rerũ fere omniũ, amœnitate ſoli, vt ra quàm in vllis Hiſpaniæ locis eſſe memoratur. In eo extremo tẽplum eſt maximum & ornatiſſimũ à Calliſto. Pont. Max. factum metropoli, vbi conditum eſſe dicitur S. Iacobi Apoſt. corpus. Eſt enim memoriæ literiſq; proditũ,quondã Iacobum Ioannis Euang. fratrẽ vnum ex tribus chariſſimis Chriſti Opt. Max. diſcipulis in Hiſpaniã delatu, ad Aſtures,& Celticũ promõtoriũ veniſſe, omnes illas oras peragraſſe, Cæſar auguſtã adijſſe magno labore vitaq; periculo barbaros populos, & efferatos

ad partē aliquā humanitatis, & verā religionē ab illo veteri errore atque inhumana feritate traducere conantē. Ibi diu multumq; laborantem, nullum vitæ diſcrimen, nullam capitis dimicationem recuſantem, nihil ferè tandem perfeciſſe: nouem tantum nactum eſſe iuuenes eorundem ſtudiorum æmulos, ex his duos Cæſaraugustæ reliquiſſe, cum cæteris in Iudæam re tentata & infecta reuertiſſe. Ibi cum inuidia ciuium ſuorum fuiſſet ab Herode Agrippa iugulatus, diſcipulos admonitu diuino in nauiculam impoſuiſſe de nocte cadauer exanimum, cum eo præter hominum expectationem ſuperaſſe mare, ſuperaſſe fretum Gaditanum, per atrociſſimosque fluctus Oceani, quos onerariæ naues inſtar vrbium ferre vix poſſunt, ad Iriam Flauiam appulſos eſſe, quod nunc Padronum appellatur. Hunc ſiue quæ de crudelitate neſcio cuius reginæ, tauriſque feris, & indomitis narrantur vera ſunt, ſiue nulla eiuſmodi regina fuit in illis terris, & nouis autoribus aliquid ſemper adijcientibus tota eſt illa fabula contexta: certum eſt tamen à diſcipulis non longè aſportatum magiſtri corpus, vbi nunc Compoſtellanum templum eſt, humatum fuiſſe licet, an iam tum Compoſtella fuerit, non ſatis conſtet, atque ab eo fonte Chriſti doctrinam per omnem Hiſpaniam permanaſſe, & quod ipſe viuus efficere non potuiſſet, per alumnos diſciplinæ ſuæ perfeciſſe mortuum. In eo loco multos annos à Saracenorum præſertim in Hiſpanias irruptione diuinus ille vir ſine honore iacuit ignotus. Tandem Alphonſo qui ob ſingularem amorem pudicitiæ caſtus eſt appellatus, reliquijs Hiſpanorum imperante, diuinitus oſtenſus, pro illa priſcorum mortalium inopia templo terreo forna-

eius parietibus, & Epiſcopeo Irienſi Compoſtellam tranſlato decoratus eſt. Verùm id poſtea templũ Alphonſus magnus lapide quadrato à ſe magnificè ædificatum, per decem & ſeptem Pontifices dedicandum curauit, in quos ſæpenumerò mirabiliter apparuit diuinum numen. Nam aliquot annis poſt Ranimiro rege, barbari grauis Compoſtellanæ direptionis & euerſionis pœnas peſtilentia propè conſumpti B. Iacobo perſoluerunt: & rurſus Veremundo principatum obtinéte, dum religioſiſſimam illam ædem violare conarentur, ingenti repente oborta luce territi cum abſceſſiſſent, magnam parté alui profluuio fœdè perierunt, reliqui a Chriſtianis inuios ſaltus inſidentibus ferro confecti. Quare omnes illæ terræ S. Iacobi ſacræ putantur, tantaque eius autoritas religioſius exiſtimatur, vt non ſolum ex omnibus Hiſpaniæ partibus, ſed etiam ex Gallia, Germania, Italia, ex vltimis terris innumerabilis propè multitudo cõcurrat, vt ea veſtigia contueantur, in quibus ille magnus Apoſtolus Chriſti dicatur aliquando conſtitiſſe, & apud omnes gentes illi felices, ac beati prædicétur, qui huic regioni proximi, beatiſſimi qui ſanctiſſimi templi aliquando lumen aſpexerint. Sed hęc religio eo maior illa tempeſtate habebatur, quòd neq; omnia cõſumens & obruens vetuſtas eam vlla ex parte obſcurarat, nec dum exorti fuerant, qui effrænato & præcipiti furore inſtincti, antiquiſſima ſacra conturbare & euertere niterentur. Qua commota regina præſtanti pietate, domeſticos vocat, omnibusque rebus cõparatis, nemini tamen detecto conſilio, dat ſeſe in viam grauiſſimo anni tempore, maximis caloribus, neque prius itineris comites quonam tenderet intellexerunt, aut quo animo profecta fuiſſet domo

ſuſpi.

ſuſpicati ſunt, quàm D. Apoſtoli Iacobi ædi ſeſe procul aperiente venerantem illam aſpexerunt. Eſt autem que tumulus terreus ſatis editus ad quatuor millia paſſuum ab vrbe, vnde turres excelſæ templi ſe primù adeuntibus oſtédunt, & in eo defixa Crux, quam venerantes qui pietatis ergò peregrinantur, oculos ad vrbem intendunt, orantq; Apoſtolum cum multa lætitiæ fletu, vt volens, propitiusque ſuſcipiat cultores ſuos. Eum locum ſtatim vt attigit Eliſabeta, ex mula deſiluit, idem fecêre cæteri omnes, pariter Apoſtolo conſalutato quod reliquum erat itineris pedibus venerabundi confecerunt. Appetebant iam ſolennes D. Iacobi feriæ, quæ ante diem octauum kal. ſextil. agitantur. Eas cum expectaſſet, ante meridiano tempore in templũ venit. Faciebat rem diuinam Archiepiſcopus ornatu illuſtri atq; magnifico: aderant ab omnibus ferè terrarũ oris multi mortales religione loci, ſanctitateq; permoti. Tanto maior multitudo quàm antea reliquo anni tempore concurrebat, aut nunc illa ipſa luce concurrit, totam ædem complebat; quanto & dies ille cæteris celebrior, & priſca tempora erant meliora noſtris. Procedit ante gradus altaris vidua præcellens humili veſtitu, multa ſecum afferens permagni pretij dona. Corona primum erat grandi pondere, eximio, vt illis temporibus, artificio perfecta, annulis & magnis illuminata gêmis fulgentibus omnium pretioſiſſimis, quas vnquam habuiſſet. Duodecim veſtes aluminis margaritis pennisq; pulcherrimis, & gemmis lucentibus mira arte diſtinctæ, omnium quas induiſſet, viuente viro, tum ornatiſſimæ, tum copioſiſſimæ. Vndulata præterea peri petaſmata punicei coloris, in quibus opere vario & ſpecioſo Luſitanorum, Aragonenſiumq; regum inſignia acu picta

erant,

erant, quamplurimis inſertis margaritis admirabili ſplendore. Accedebant eodem pocula prægrandia affabre facta ex argento, quibus ipſa ante id temporis vſa fuerat. Mula item delecta generoſitate, optimi colore, ampliſſima & pulcherrima forma corporis, freno ex auro, argento, gemmisque clariſſimis egregiè facto, ſtratis & operimentis eiuſmodi, vt omnibus, qui videbant, magnam admirationem commouerent. Cæterum reliqua munera, tum ſplendore, tum copia facilè ſuperabat. Pontificalis ornatus ſacrorum antiquo illo artificio vndique perfectus, & omnibus numeris abſolutus: quem cum cæteris rebus S. Iacobo dono dedit, excellenti munificentia regina. Ingentes porrò pecunias partim obtulit in templi ſumptus, partim viritim egentibus, mendicisque diuiſit, vt ſacerdotes ipſi aliique magno natu homines, qui propter vitæ diuturnitatem multa vidiſſe, ac meminiſſe poſſent, ſua memoria negarent extitiſſe quenquam, qui res tam multas, tam varias, tam pretioſas Apoſtolo donaret. His ita perfectis, quum & omnia ſacra loca religioſaque viſiſſet, & animi ſui pietatem officiumque debito ſatisfeciſſet Eliſabeta, Compoſtellanus Archiepiſcopus proficiſcenti ſcipionem dedit & peram, indicia quædam & inſignia religioſæ peregrinationis. quo illa ornatu mirandum in modum læta reuertens domum, vix dici poteſt quanta omnium mortalium ſtudia in ſe concitarit. Quacunque veniebat, incredibili concurſu, admiratione, fauore omnium eius iter celebrabatur. Effuſa vndique ſtudio videndi ex agris finitimis ingens multitudo vias & aditus obſidebat: per inſtructa omnia ordinibus virorum mulierumque inter vota & preces & laudes ibat: nemo erat quin

omni

omnis cum cæteris in eam officio pietateque certaret: tantum admirabilis virtutis & ſanctitatis præcepta quædam animo opinio famaque valebat etiam apud exteros ſuos & ignotos. Adoleuerat enim tum Alfonſus regis Ferdinandi filius, eius ex Conſtantia filia nepos, maturusque rebus gerendis regnum patrium à tutoribus acceptum obtinebat. Eam ob cauſam quocunque perueniſſet intra mœnia oppidorum ſumma voluntate omnium accipiebatur cum ſuis. Nam nec ab illa probitate, moderatione, ſanctimonia quanuis magno eſſet inſtructa comitatu, neque in bello quidem quicquam periculi metuiſſent armorum præfecti: & regi ſuo tribui arbitrantes quicquid obſequij eius auiæ tali reginæ tribueretur, publicis priuatisque officijs perquam diligenter fungebantur. Anno verò iam exeunte venit ad Dionyſij ſepulchrum, vt ei ſacris anniuerſarijs parentaret. Adfuit & Alphonſus filius, qui Luſitaniæ regnum ex teſtamento poſſidebat, magna virorum nobilium & procerum frequentia ſtipatus. Conuenerunt eodem complures antiſtites religionis, plurimique honorati homines, quos & viuus & moriens liberaliſſimus, munificentiſſimusque rex permultis beneficijs ornarat. Præſtò fuerunt ad myſteria precesque peragendas omnia ſacerdotum Collegia, omnesque familiæ Monachorum, vt in regijs funeribus fieri mos eſt. Sic frequentiſſimo conuentu inſtructa, ornatuque viſendo, maxima cæremonia, ſolenni lugubrique cantu, multis ſacrificijs & aſſiduis pro mortuis precationibus iuſta funebria regi mortuo, eodem quo ſepultus fuerat die, magnificè facta.

PETRI

PETRI PERPINIANI SOCIETATIS IESV, DE VITA ET MORIBVS D. ELISABETAE LVSITANIAE REGINAE.

LIBER TERTIVS.

REGINA præſtantis animi omnibus coniugalis pietatis officijs in virum & viuentem, & mortuum ſtrenue defuncta, longe aliam vitam a ſuperiore, quam tamen ſemper admirata fuerat, ipſa animi mollem & delicatam egiſſe arbitrabatur, ſecum ipſa meditans, Conimbricam venit: vbi multo ante viduitatem, ſi res ita forte tuliſſet, ſolitudinique ac tranquillam, & ab hominibus remotam ſedem comparat. Ac primum omnem mundum muliebrem, & regium ornatum, quo antea non ad venuſtatem formæ, quam negligebat, ſed ad matrimonij neceſſitatem, cui parebat, vſa fuiſſet, funditus diſſipauit ac reiecit: aut verius ad meliorem vſum tranſlatum, ex profano ſacrum & religioſum fecit. Habebat plurimam veſtem pretioſam tam ſtragulam, tum ad tegendum corpus auro bombycinoque textam, magnifice pictam operibus: omnem protulit in medium: e qua veſtimenta ſacerdotalia, cæteraque id genus ornamenta templorum ornatui confecta per Pontificem aliquem ſacranda curauit. Produxit & quicquid habuit auri argentique facti, & infecti, imperauit fieri calices ad vſum ſacrorum,

cruces

cruces item cum maiores quæ præferrentur in pompa, cum minores, quæ in altaribus collocarentur. Turibula porrò, lychnuchos penſiles, & eiuſmodi alia munera atque dona. Eorum partim in Parthenone S. Claræ inſtituto dedicari voluit, partim cæteris Luſitaniæ templis pro cuiusque vel religione, vel indulgentia, vti cognorat, expedire, diuiſit. Coronas verò regales pulcherrimè factas, & monilia ex auro, atq; gēmis, nonnullaq; alia nobiliora ornamenta Beatrici reginæ nurui ſuæ, duabusq; neptib' poſtea reginis, Mariæ Alfonſi filiæ, & Leonoræ matre Caſtellana natæ, quæ paucis poſt annis nupſit Aragoniorū regi Alfonſo, & quibuſdā alijs principibus fœminis cognatis ſuis diſtribuit, vt in illa vitæ ſeueritate, quam cogitabat, humanitatem tamen in ſuos retineret. His quaſi cōpedibus, quibus maximè retardari ſolet curſus animorū, ad ſummam & perfectiſſimam virtutē euolare cupientiū, fractis & reiectis, mirū eſt, quanto incitatior, quam antea ferretur, in ſtudia ſanctioris vitæ. Primum ſentiebat magnum prorſus eſſe in victus continentia præſidium ad omnes effrænatas corporis libidines debilitandas & frangendas, atque ad reſtinguenda incendia ab infeſtiſſimo humani generis hoſte coniecta, cuius in vmbilico vis omnis eſſe dicitur. Hanc olim à primis mundi originibus vſque ad vniuerſam terrarum eluuionem, ac naufragium animantium propè omnium quum oleribus & ſtirpium fructibus homines victitarent, dominatam fuiſſe cognouimus. Quicunque ferè fuiſſent aliquando ad aliquod magnum munus obeundum a Deo delecti ac deſtinati; eis atque adeo parentibus ipſorum, certa victus ratione præſcripta, ijs rebus quæ ad luxum pertinerent, interdictum eſſe.

Omnes

Omnes illos vitæ ſanctitate præſtantes vel viros, vel fœminas, hac veluti lorica aut ſcuto tectos, verè inuictos ad omnes appetitionum impetus ope diuina ſeſe præbuiſſe. Hunc eſſe quaſi ludum, aut ſeminarium quoddam pulcherrimarum virtutum, modeſtiæ, pudicitiæ, taciturnitatis oportunæ, prudentis ac neceſſarij ſermonis, contemplationis ſupernarum rerum atque cæleſtium. Multis commemorabili probitate viris legerat & audierat, amictui fuiſſe tegmina palmea, cibum ſponte naſcentes è terra fructus, potum aquam, cubile terram, tectum aut antrum aliquod aut cælum. Quare tametſi ea iam erat ætate, vt quamuis tot tantoſque labores non ſuſtinuiſſet, tamen effœto corpore, illa tam aſſidua ieiunia & tam difficilia vix ferre poſſet: eas autem à prima pene pueritia corporis pœnas vltra pertulerat, vt ne ætate quidem integra atque florente diutius tam ſeueram diſciplinam, & tantam tenuitatem victus ſine graui aliquo valetudinis incommodo pati poſſet; nihil omnino anus egregia conſtantia de priſtina illa conſuetudine ſua remiſit, ac totas fermè hebdomadas incredibili quadam abſtinentia tranſigebat: quod hoc etiam liberius, quam ſuperioribus annis faciebat, quia Dionyſius aberat, cui dum adhuc viueret, vt obſequeretur modeſtiſſima Regina, multò minus efficiebat interdum, quam optabat. Nondum exædificata erat domus illa ſanctæ Claræ, quam ad Conimbricam inſtitutam fuiſſe diximus in ripa Mondæ. Partim igitur quo magis id opus vrgeret, ac citius, vt cupiebat, perficeretur: partim quo frequentius ad illum virginum ſacrarum cætum adire poſſet, ſi propè habitaret, & ſæpius earum ſanctiſſima conſuetudine frui liceret, domum ſibi ac ſuis paulu-

lum

lum aduerſo flumine à Parthenone remotam paucis menſibus conficiendam locauit. Fuit illud Eliſabetæ viuentis adhuc veluti ſepulchrum quoddam, in quo ſic delituit extrema ſenectute, vt Deo quidem tum maximè viueret, quum minimè videretur, rebus autem humanis & huius vitæ vanitati mortua penitus & ſepulta putaretur. Ea domus vſque ad hanc memoriam annos circiter tres & triginta ſupra ducentos integra ſtetit, id quodammodo curante ac prouidente Deo, ne prius tam inſigne monimentum religionis illius & ſanctitatis interiret, quam literis multorum illuſtraretur. Quo quidem omni tempore receptaculum illud extitit miſeris & egentibus hominibus, quo iniurias Cæli vitandi cauſa ſuccederent, & ſatis patens & peroportunum, vt quos illa viuens omni ſtudio protexiſſet, eiſdem etiam mortua perfugium præberet. Anno verò ab ortu Chriſti ſeruatoris quingenteſimo quinquageſimo nono ſupra milleſimum, quum hoc totum factum æſtate ſuperiore fuiſſet in lucem prolatum à nobis altera oratione de rebus à Regina geſtis, priuſquam tertia, quæ fuit extrema, diceretur; ineunte vere nocte S. Matthię ferias antecedente, quum & vetuſtate nemine reficiente conſumpta, & maximis atque aſſiduis imbribus hyemis proximæ diſſoluta eſſet, inquilinis innoxia corruit magna ex parte, tanquam & officio ſuo perfunctam ſe eſſe cognouiſſet, & chariſſimos quondam Eliſabetæ habitatores continere ſenſiſſet. Nam & pridiè eius diei rimis actis, ac velut ante denunciata ruina omnes, vt aliò migrarent, admonuit: & puerum, qui ſolus cum iumento remanſerat in imis ædibus, trabibus a ſolo ad alterum parietem ſtantem cratis in modum quaſi de induſtria erectis, & pondus

ruentis tecti ſuſtinentibus ita molliter excepit, vt multorum diligentia breui purgato loco, puluere quidem obſitus, ſed prorſus integer extraheretur, quem omnes ſuſpicarentur eſſe penitus obtritum. Nimirum etſi muta inanimaque tecta carebant ſenſu, erat tamen & vigebat diuina vis, cuius illa non modo voluntatibus, verumetiam nutibus obſecundarent. Sed olim dum ibi piè ac religioſè viueret Eliſabeta, ædiculas ſibi quaſdam ad ianuam Parthenonis ædificarat, quo cum immigraret ſæpenumero ex illo ſuo vicino domicilio (obtinuerat enim à Pontifice maximo, vt quotieſcunque vellet eò introire ſibi fas eſſet cum neceſſario ancillarum comitatu) multos dies inter virgines dedicatas Chriſto morabatur, cum incredibili quadam animi voluptate ex earum ſuauiſſimis, integerrimisque moribus accepta: vnà viuebat, vnà cibum capiebat, vnà ſtatas & ſolennes precationes peragebat. Alloquebatur interdum tum publicè vniuerſas, tum ſingulas priuatim, & oratione anilis grauitatis, regiæ autoritatis, Chriſtianæ pietatis, modeſtiæ, humanitatis, prudentiæ plena hortabatur ad retinendam perpetuæ vitæ conſtantiam, & ad perferendam hilari animo cum Chriſto Crucem ſponte ſublatam humeris, confirmabat. Reuocabat in memoriam nuncupata vota, exaggerabat verbis inſtitutæ vitæ quum oportunitatem, tum excelientiam dignitatis. Quo maiores rerũ copias abiudicaſſent, plures delitias excluſiſſent; ampliores honores contempſiſſent exploratiorem ſpem abieciſſent in poſterum, eo expeditiores fore docebat animos ad hunc curſum in illam ſempiternam domum conficiendum, omnibus impedimentis, quæ cæteros remorari ſolerent procul amotis, Deo Opt.

Opt. Max. publico ritu deuotas, dicatas, conſecratas eſſe dicebat: ei vero etiamſi omnes gratiſſimi eſſent qui recte viuerent & congruenter legibus diuinis, tamen maiore quadam ratione integra ex omni parte caſtaque pectora eſſe chariſſima; quæ virginitatis amore neque ſenſiſſent vnquam viriles manus, nec fœdis cupiditatibus aut cogitationibus obſcænis patuiſſent; eas mentes illum ducere veluti ſponſas ſuas, quæ ſuam corporiſque caſtimoniam, ſpreta procreandi voluptate, & illa huic adiuncta cibi atque potionis, inuiolatam perpetuò ſanctamque ſeruaſſent. Quod ſi Deo nihil nec melius, nec maius cogitari aut fingi poſſet, eas profecto fœminas eſſe beatiſſimas, quę longe ab omni corporis & animi libidine remotæ, illi ſe vni quaſi deſpondiſſent. Elaborarent igitur, ne quid de tanta commoditate, dignitateque deperderent incuria ſua, nec ſanctiſſimum ac religioſiſſimum vitæ genus agro feraciſſimo cum centeſimo afferente à cæleſti hominũ doctore cõparatum, aliqua culpa ſua in contemptionẽ adduci paterentur. Tanto caſus grauiores eſſe ſolere, quanto excelſiorem quis & illuſtriorem ætatem agat. Nam ſi turpe duceretur virginẽ præſtanti inueni deſponſam parum caſtè habere pudicitiam ſuam; quam flagitioſum demum exiſtimandum eſt ſponſam ipſi Deo certa pactione mẽtem, non modo cõtra fidem omnibus eſſe vitijs expoſitã & obnoxiam, quod ſummæ iam petulantiæ videtur, ſed vel tenuiſſima ſuſpicione, quod longius abeſt à reprehẽſione, maculam vllam aſpergi ſinere pudori ſuo? Depugnarent igitur forti & conſtanti animo, vti cæpiſſent, cum omnibus malis animi cupiditatibus, illecebriſq; corporis; manerent in ea ſtatione, in qua fuiſſent ab optimo imperatore collocatæ:

clauderent omnes aditus non ſolum impurè factis, verum etiam dictis atque cogitatis: munirent, ſepirent, firmarent mentis arcem præſidijs cæleſtibus: terga dare, cedere, pedem referre fœdum putarent, & alienum dignitate ſua: aut ſtrenue ſigna Chriſti inferrent cum ſumma laude, hoſtemque loco pellerent: aut fortiter eius reſiſtentes furori in veſtigio glorioſius occumberent. Etiamſi non ea virtuti præmia propoſita fuiſſent, quæ cumulatius animum expectatione ipſa deberent inflammare: ſi non immortalitas, non diuinæ naturæ multò iucundiſſimus aſpectus, non tot corporis, animique bona manerent victores; ea tamen accepta iam eſſe à Deo beneficia, vt nullus eius cauſæ labor, nullum certamen, ne mors quidem ipſa recuſanda videretur. Huiuſmodi verbis,& alijs eodem pertinentibus ab animo vere generoſo, excelſoque profectis, Regina rara quadam & inſolita prudentia crebro ſuas alumnas inſigni pietate virgines, tum acuebat, tum etiam corroborabat: & quando non ipſi licuerat eodem modo viuere,eas quæ perfectam officij rationem perſequerentur, quod proximum erat, & re, & ſtudio, & oratione iuuabat; à quibus ipſo vitæ genere longè in matrimonio relicta, quum viduitate propius acceſſiſſet, contentione animi, & ardore præcurrentes aſſequi conabatur, aut etiam anteuertere ſi poſſet. Antea duas ſanctæ Claræ familia mulieres habebat domi: nunc ad eum numerum tres alias adiecit, vt haberet quinque ſuorum ſtudiorum participes, omnem precandi rationem optimè callentes, & diſſimilitudini temporum congruentem varietatem. Cum his diurnas & nocturnas horas ita diſtributas habebat. Primum vix naturali ſomni deſiderio

ſiderio depulſo de multa nocte vigilabant, recitatiſ-que precibus matutinis, & ad primam horam, tribus aderant ſacris; ſed ea non eodem modo conficiebantur. Portabat enim Eliſabeta ſecum quocunque iret ad id aptè factum altare omnibus rebus inſtructum & ornatum, quod vbicunque eſſet in ſuo cubiculo ſtatui, ſternique iubebat, vt eo priuato vteretur, ac domeſtico ſacrario. Eo igitur iam ante præparato, & ornato, ſtatim vt diluceſceret, ſacrificium fiebat ſubmiſſa voce, modico apparatu, cui ſola regina cum ſuis illis comitibus religionis intererat, ea pietate, animique ſenſu, quo diuinitus afficiuntur qui omnes ſuas curas, & cogitationes in cruciatu Chriſti atque morte, & in admirabili amore, indulgentiaque Dei erga genus humanum vniuerſum conſideranda, animoque tractanda poſuerunt. Inde in publicum regiæ ſuæ ſacellum veniebat cum omni familia. Aderant iam parati, & expediti ſacerdotes atque cantores, qui quum vniuerſi ante omnia rem diuinam pro Dionyſio feciſſent cum ſolenni pro mortuis precatione, lugubrique cantu, pari deinde ratione lamentabili voce, flebilibus modis, vno prçeunte, cæteris reſpondentibus, Deum precabantur adiuuantibus ijs, qui aderant, eorum vota, vt mortui regis animum, ſi igne fortè purgante torqueretur, ex illo cruciatu, & dolore liberatum in beatiſſima beatorum & iucundiſſima regione collocaret. Sacra poſtmodum eius diei propria fiebant pro ratione temporis, in quibus ſi quæ feriæ celebrarentur, concio, vt aſſolet, de diuinis rebus habebatur. Expectabat prætereà ad multam diem, vti ſacerdotes inſtituto ſuo ſacris precibus perfungerentur: tum demum ipſa reliquarum horarum ad meridiem, tertiæ videlicet, & ſextæ recitatis

precationibus cum illis quinque comitibus ſuis, inclinato iam in poſt meridianum tempus die, ad curandum corpus & cibo neceſſariò reficiendum, inuita diſcedebat. Erat Regina tanta agendi cogitandique ſolertia, vt nullum opus locaret faciendum, cuius non egregiam quandam, pulcherrimamque formam, animo ſibi prius ipſa depingeret, ad cuius ſimilitudinem dirigens artificium manus, quemadmodum quidque fieri vellet, mirantibus ipſis architectis præſcriberet: in quo tam ingenioſa & intelligens habebatur, ſic acutè ſagaciterque ſtructorum, & aliorum fabrum errata videbat & notabat, vehementer vt illi mirarentur, ac ſtuperent, tanto ſe plus nihil aliud agentibus perſpicere, ab eo ſtudio alieniſſimam reginam. Itaque & viro iam ante regiam ampliſſimam illisque temporibus pulcherrimè deſcriptam ædificarat, & non pauci Luſitaniæ principes magnificas domos mente complexi, quo melius ædificarent, nullum commoueri lapidem paſſi fuerant, priuſquam eius ſententiam exquiſiuiſſent. Ergo vbi ſatis corporis deſiderio feciſſet intra naturæ neceſſitatem, ne quod tempus à labore vacuum haberet, vocabat præfectos fabrum, cæterosque, quibus aliquam eius ædificationis partem commiſiſſet; ex quibus permulta de totius operis ratione ſciſcitata, cognitisque diligenter, & accuratè rebus omnibus, quod in rem eſſe videretur, imperabat: his dimiſſis, cognoſcendis omnium poſtulationibus operam dabat: quę cuiuſmodi eſſent, ſcire operæpretium eſſe arbitror. Multi mortales cuiuſque ſexus, ætatis, ordinis, tum ex omnibus familijs religioſis, tum nulla ex certa diſciplina, tum locupletes, tum tenues partim aliquid loco beneficij petebant, partim inopiæ, ſolitudini-

que

que ſuæ aliquam opem implorabant: quibus omnibus illa & quam humaniſſimè acceptis, & ſine faſtidio, quoties dicere vellent, auditis, & quam vellent diu, diligenter quum de ſingulorum hominum dignitate, & egeſtate, tum de cuiuſque familiæ religioſæ magnitudine & domicilio percontabatur, & vnicuique pecuniam, frumentum, veſtem, quantum neceſſe eſſe cognouiſſet, tribui iubebat. Poſteaquam ſatis eſſe factum omnibus videbat, includebat ſe in cubiculum, omnibus curis pauliſper extra oſtium, lumenque relictis ſui colligendi cauſa; ibi vel aliquid de pietate, boniſque moribus legens, vel Deum ritè caſteque comprecans, & ſupera atque diuina contemplans in cæleſti ſuauitate conquieſcebat. Veſperi vero recitatis ſolennibus horæ nonæ precibus, ad ſacellum ſe conferebat cum domeſticis ſuis. Præſto erant ſacerdotes, qui veſpertinas, & ſupremi crepuſculi precationes vel ſubmiſſius peragerent profeſtis diebus, vel feſtis atque ſolennibus modulatè ac numerosè decantarent: quibus perattentè, pieque auditis, veſpertinas ipſa rurſus cum socijs recitabat. Inde, niſi deſtinatus eſſet ieiunio dies, vt erant plerique, ad cænam non regali luxu, ſed antiqua frugalitate & parſimonia præparatam veniebat, à cæna diuturnas preces extremas recitabat, & funebres pro mortuis; dimiſſiſque ſocijs, cum comitatu tantum neceſſario in conclaui remanebat. Vigilabat ad multam noctem, vt ex ancillis quas retinebat, intellectum eſt poſtea, tum incredibili quodam ſenſu res diuinas peragrans, menteque pertractans, tum purè & caſtè Deum Optim. Maxim. cum fletu, lacrymiſque venerans, & formidoloſam eius iram à ſe, à ſuis,

 abom-

ab omni Luſitania, ab vniuerſo genere humano deprecás. Sæpe etiam è lecto, quem nimis molliter querebatur eſſe ſubſtratum, ſe proripiebat, & imbecillitatem animi, quæ nulla erat, increpitans & incuſans, ſeque ipſam condemnans ignauiæ, anile corpus, magnis atque diuturnis fractum laboribus, abſtinentia cibi confectum, in aliquo duro, ac rigido ſtratu abijciebat. Hiſce quotidianis commentationibus ad religionem, benignitatem, ſubmiſſionem animi, aduerſus vniuerſos homines charitatem, cæteraſque priſtinas eius & excellentes virtutes, quibus nihil iam addi poſſe videbatur, tanta facta eſt acceſſio, vt quaſi rudimentum quoddam atque tyrocinium fuiſſe vitam ſuperiorem appareret. Nam vt apud Iudæos olim, quantò propius aderat quinquageſimus ille annus, quo ſolenni ritu poſſeſſiones omnes ad veteres homines redibant, tanto minoris prædia ruſtica diuinis inſtitutis æſtimabantur; ſic magnanimæ reginæ quo mors magis appropinquabat, eo vilior erat omnis hæc humanarum rerum tam breui amittenda poſſeſſio. Principio omnem curam, & cogitationem intendit ad perficiendum Parthenonem inchoatum ſanctæ Claræ nomine, & quamplurimis latomis, ſtructoribus, tignarijſque fabris vndique ſpe præmiorum aggregatis, nuſquam ne ad breue quidem tempus abſcedens, nuſquam oculos ab opere deijciens, neque laborem, neque ſumptum vllum neceſſarium ſubterfugiens, templum, cuius multo iam ante fuerant iacta fundamenta quanta maxima celeritate poſſet, imperauit abſolui, & lapideum fieri ſepulchrum, quod in eo ſibi templo poneretur.

Neque verò ſolum ædificatio procedebat, ſed illa ſimul

mul perquam diligenter amplificabantur: ſine quibus inanis omnis ille labor, & ſtultum in expitandis parietibus religioſiſſimæ ac prudentiſſimæ reginæ ſtudium iure putaretur. Maiores indies pecuniæ attribuebantur in ſumptus annuos, creſcebat numerus virginum Deo ſeſe ſponte ſua mancipantium, & in illa noua æde nouum quoddam incipere vitæ genus cupientium, hoc etiam magis quam proximis annis, quod totum iam ædificium propius exitum eſſe videbatur. Ac inter cæteras clariſſimo loco natas, quæ permultæ ex reginæ familia animi quodam impetu concitatæ, & recentibus illius diſciplinæ ſtudijs flagrantes initiari, ac deuoueri Chriſto voluerunt, Eliſabeta Cardonia petere contendit, vt intra illa ſepta deſpectis rebus humanis Deo optimo domino & eidem maximo ancillari ſibi liceret. Erat illa vt claritate generis illuſtris, ſic opibus potens, & pecunioſa; matre namque nata erat Beatrice reginæ ſorore nota, & Raimundo Cardonio nobiliſſimo viro; dotisque magnitudo facilè Maiorum ſplendorem, & dignitatem adæquabat. Verum pertæſum erat vitæ cõmunis, & ita Chriſtianam nobilitatem, cæleſteſque diuitias adamare cœperat, tanto ſtudio efferebatur æternæ, ac beatæ vitæ perfruendæ, vt omnem illam altitudinem fortunæ, & gloriæ perbreuem, & vanitatis plenam, & omnium illuſione ludendam eſſe iudicaret, nec quicquam putaret antiquius, quam vt humanis expedita laqueis, & miſerrimæ ſeruitutis inani quodam dignitatis fulgore mentes oculoſque hominum perſtringentis à ceruicibus deiecto iugo, vera, ac germana libertate potiretur. Magnam quandam accipiebat regina voluptatem cum ex aliarum virginum, tum maximè ex hac Eliſabetæ tanta volũ-

tate, ſed extraxit rem tamen varijs terroribus, & excuſationibus per multos dies, vt & earum conſtantiā experiretur, & deſiderium magis accenderet. Fit enim aliquando, maximè in genere vitæ deligendo, vt in adoleſcentia præcipitati conſilij nimis ſerò pæniteat ſenes: & vbi nec animi firmitas, nec ſententiæ grauitas, nec conſilij maturitas abeſt, neſcio quo pacto, vt aquæ curſus, ſic mentis alacritas, quo diutius cohibetur, atque reprimitur, eo deinde maiores habet impetus in erumpendo: tandem omnes & multū optantes, & iam diu poſtulantes, & magis in dies, magiſque exardeſcentes deſiderio grauioris diſciplinæ, ſumma voluntate omniū, extremo die dominico quadragenarij ieiunij, quo ſanctiſſima cæremonia palmis oleagineiſque ramis Chriſti Seruatoris in vrbem introitus concelebratur, præſentibus præter cæteros. Alfonſo rege cum matre, vxoreq; reginis, publico ritu in collegiū ſacrarū virginum allectæ veſtitum mutauerunt. Ac Eliſabeta quidem Cardoniā aliquanto poſt ob excellentem virtutē omniū ſuffragijs vniuerſo cætui præpoſita, commiſſam ſibi familiam caſtè, integreque gubernauit, cuius maxima parens, quam à Iudaico ſermone deflexo verbo Abbatiſſam vulgo vocant, Proxima primæ numeratur. Cæterum Regina anno tertio à Dionyſij morte, Mariam neptem ſuam deſponſam Alfonſo Caſtellanorum regi nepoti item ſuo, vnam cum filio, nutuq; regibus duxit ad vltimos Luſitaniæ fines ad virum, & officio neceſſario perfuncta, breui Conimbricam reuertit: vbi quanuis eſſet in illa æde conſtituenda & ornanda valde occupata, tantum aberat, vt ab hominibus ſubleuandis omniique ratione iuuandis auocaretur, vt ea vna cura in eius pectore infixa hærere videretur.

Depo-

Deponebat libenter omnes, vel grauiſſimas offenſiones, ſi quæ aliquando hominum perverſitate ortæ fuiſſent. Iniurias acceptas ignoſcendo, atque adeò beneficijs remunerando vlciſcebatur, ſi quid pecuniæ ſibi deberetur, quantũcunq; illud eſſet, totum remittens atque concedens. Sic animi concitationes, hanc præſertim iracundiæ longa & aſſidua meditatione compreſſerat, vt ne ijs quidem, à quibus vehementer fuiſſet offenſa, ſuccenſeret. Itaque nemini omniũ aliquando vel oratione, vel vultu, vel animo viſa eſt eſſe commotior, imitata reges apũ (licet enim cõferre magna cum paruis) quos aut aculeo carere prorſus, aut certè ſi habeant nunquã vti compertum, & exploratum eſt. Illuſtre principibus, tum viris, tũ fœminis exemplum vt ſi minus poſſint nunquã iraſci, tamen vbi ſint irati, animo, & orationi moderentur, neque temerè, aut leuiſſimis de cauſis, aut etiã, vt ſæpe accidit, nullis, iracundia & ſtomacho exardeſcant. Quas vero mulieres captas, & irritatas illecebris voluptatis, omni turpitudine conſtrictas teneri cognouiſſet, eas ab illa vitæ fœditate, & corruptelis ad pudicitiæ curam atque famæ, & ſanctimoniã morũ reuocare nitebatur. Si quæ tædio ante actæ vitæ reſipiſcentes in viam ab illo errore redijſſent, pudoriq; ac dignitati ſuæ conſulentes, integram inpoſterũ ab omni libidinis labe mentem conſeruare decreuiſſent, ijs victum, veſtem, pecuniã præbebat in ſumptum: ne cuius rei penuria ætatis flore quærere cogerentur, quod deeſſet. Conſtitutum habuit inſtruere, & ornare copioſã domum, vbi quæcunque ſe ab illa intẽperantia & impuritate ad meliorẽ, vt dicitur, frugẽ recepiſſẽt, & alerentur, & veſtirentur, & bonis ac ſalutaribus præceptis, & inſtitutis informarentur ad omnem probitatem

bitatem, atque virtutem; cui rei non modo locum deſignarat, ſed tecta iam etiam Conimbricæ compararat. Verùm cum difficile eſſe videret quæ palam peruulgaſſent omnibus corpora, eas in eadem ciuitate degentes, in qua petulantius dudum, procaciuſque vixiſſent, ſibi temperare, neque eorum, quibus cum illis vetus conſuetudo ſtupri fuiſſet, vel ſermone, vel aſpectu ipſo, vel denique tacita recordatione à propoſito abduci, procul Turres nouas amandauis, quod oppidum non lõgè abeſt à Scalabi, ſumptus neceſſarios abundè ſuppeditabat. Tandem experta ſua beneficentiam, & induſtriam ab illis ipſis contemni, quarum cauſa & impenſa fiebant, & cura ſuſpiciebatur, conſuetudineque iam naturæ vim obtinenti breui eas ad ſe redire, atque ad mores ſuos, nec priſtina licentia carere poſſe, & turpiter corporis voluptati vel in ſumma egeſtate malle ſeruire, quam in omni rerum abundantia vera animi libertate laudabiliter frui, vtilius in alijs rebus illud quicquid erat operæ, & pecuniæ conſumi poſſe rata, deſtitit inuitas velle corrigere, quas perdifficile & arduum eſſet in officio continere etiam volentes. At illa facere nunquam deſtitit: paſcere fame, ac ſiti areſcentes; peregrinos atque inopes inuitare hoſpitio, nudis amictũ præbere, viſere ægrotos, & medico alijſque rebus opportunis adiuuare, mortuos curare ſepeliendos, in funeraque pauperum facere ſumptum, omne miſerorum æs alienum, ſuis nominibus, copijſque perſoluere, redimere captos à Mauris. Ad hæc monendo, obiurgando, rogando, in viam reducere longè deerrantes à ſemita virtutis, hortando bonos incendere, ſuadendo confirmare vacillantes, lugentium mœrorem mitigare conſolando, denique nullum officij, nullum obſe-

obſequij, nullum pietatis genus in quenquam præterire. Leriæ (quod oppidum fuerat ipſi attributum) in ædibus à ſe erectis multitudinem ingentem mulierum honeſtiſſimarum, quæ ex nonnullis opibus ad inopiam redactæ ingenuo pudore, quominus mendicarent, impediebantur, quandiu vixit, ſuis facultatibus ſuſtentauit. Conimbricæ verò vbi diuerſabatur, illam Eliſabetæ magnæ materteræ ſuæ lectam, & admirabilem vitæ rationem, quoad licuit, perſecuta eſt. Ante regiam enim quam Parthenoni Sanctæ Claræ propinquam fuiſſe diximus, in eadem ſiniſtro fluminis ripa, hinc atque illinc frequentes ædiculas extruxit, quas inter ſacellum quoddã ex aduerſo regiæ direxit, area quadrata ſatis magna puteum medium complectente hæc omnia relicta. In his tectis humaniſſima regina, nulla magis vicinitate delectata quindecim viros egentes, totidemque fœminas vt ſexu ipſo diſpares erant, ſic locis diſiunctos collocauit, ad quem numerum hominum, qui eſſent eo beneficio digni in perpetuum alendum certas aſſignauit pecunias, vnde annona, lectus, veſtiſque quotannis vnicuique præberetur. Sacello verò proximo cum cemeterio conſecrato, ſacerdotem cuſtodem præfecit, qui præſentibus ijs, qui annuum acciperent, ex attributa pecunia ſubſidium quotidie faceret rem diuinam, & ſolennes omnium horarum concineret precationes. Neque ſatis habuit, excellens humanitate regina, tecto ab iniuria frigoris caloriſque tueri miſeros, egentibus ſuppeditare, paſcere famelicos: quod neq; ipſi difficile erat illa copia, neque ſemel à regibus opulentis vſurpatum: ſed ad hanc liberalitatem ea adiunxit officia, quæ etiam tenues, & obſcuræ mea hercule defugiunt, exiſtimantes aliena dignitate ſua.

Ete-

Etenim nullas humanitatis, & beneficentiæ partes Chriſtiana regina indignas eſſe rata, viſebat frequenter quos aliquo morbo teneri audiuiſſet, confirmabat vario placidoque ſermone, hortabatur ad perferendam ægritudinem animi, & corporis dolores, multa de aliorum patientia memoriter, iucundeque narrabat; & oblita regiæ autoritatis ipſa complexa iacentes erigebat, præparatoſque iam ante cibos afferens, leuabat faſtidium verbis, denique Chriſtum in pauperibus agnoſcens, omnia ea munera piè, ac demiſsè exequebatur, quæ diligenti, & officioſæ famulæ in chariſſimos Dominos non prætermittenda eſſe videri poſſent. Hi erant horti penſiles, hæc amœnitas arborum & deſcriptio, hæc operis topiarij varietas, & pomorum, qua ſanctiſſima regina oculos paſcebat, miſerorum ſqualor; hæc vnguenta, hæ ſuauitates, quas adhibebat, grauiſſimus & teterrimus odor, qualis ægrotantium in egeſtate ſolet eſſe. Hi ludi, hæ remiſſiones animi, & ambulationes, concurſare, feſtinare, ab omni non modo re, verum etiam ſpe derelictis inſeruire. Huius tantæ liberalitatis & humanitatis etiam nunc tenuia quædam, & obſcura veſtigia comparent. Conſtat enim adhuc illa tecta circum Regiæ ruinas frequentiſſimè à pauperibus habitata, cum vetuſtiſſimo ſacello, in quo dominicis diebus vnus aliquis ſacerdos ex finitima Sancti Franciſci æde ſacris operatur, & duodecim mulieres egentes aluntur in illo Parthenone Sanctæ Claræ certa pecunia, quam Eliſabeta quõdam dicitur attribuiſſe. Mihi veriſimile videtur hanc illam eſſe pecuniam, quam antiquiſſimæ literæ ad homines triginta paſcendos, & veſtiendos, vti diximus, aſſignatam fuiſſe commemorant; ſed annona ma-

na magis indies ingraueſcente factum eſſe tandem, vt quæ ſumma in illa temporum illorum vilitate ſatis eſſet ad triginta homines alendos, eadem in hac inopia tanta. & caritate rei frumentariæ, vix duodecim iam ali poſſint; quippe vt aqua interius bibendo, ſic auaritia, quæ ſemper infinita & inſatiabilis eſt, ipſa argenti auríque copia ſupra modum creuit. Et libido Ganeæ, nimiſque mollis corporis cultus, & elegans, tantam inopiam rerum omnium, tantam difficultatem inuexerunt, vt niſi Craſſus aliquis, aut Cræſus nemo ſine ſummo labore viuat. Memorare poſſem niſi me longius ea res ab incepto traheret, quanta fuerit apud maiores noſtros in victu parſimonia, quanta mediocritas in cultu, quam probiles habuerunt diuitias, apud quos plus vno aut altero apponi cibo lautum nimis & ſumptuoſum, & amictu bombycinum aliquid habere regium prorſus putabatur; qui duo millia ſextertium innumerato haberet, diues; qui villam, aut aliquot agri iugera poſſideret, is opulentiſſimus exiſtimabatur. At nunc ignauis, & deſidioſis hæredibus, pecuniæ à parentibus acceptæ magnitudine ipſa ludibrio ſunt. Veſcendi cauſa omnia terra marique conquiruntur; nemo homo ducitur, qui non bombycino coopertus, argento auroque & gemmis collucens Perſas oleat & Indos, inſigni iniuria naturæ precioſis metallis ad officia ſordida, morbis animantium & ſudore ad delicias abutens. Itaque olim cum nihil, aut parum erat, id tamen quod erat hominibus frugi, & in omnibus vitæ partibus moderatis, ac temperantibus erat ſatis. Nunc dum noſtrorū nec luxuriem deliciæ ab vltimis

orbi

orbis terrarum finibus, & inſulis importatæ, nec cupiditatem omnes omnium gentium pecuniæ queunt explere; tanta caritas omnium rerum ab his duabus generis humani peſtibus nata eſt; vt nihil ne ad ea quidem paranda, quæ natura requirit, ſatis alicui poſſit eſſe. Verùm (vt eo redeat, vnde noſtra aberrauit oratio) per idem tempus Alfonſus rex Caſtellanorum Mariam coniugem ob ſterilitatem naturæ contemnens, Leonoræ Noniæ viduæ nobilis conſuetudine, maximè filio ex ea ſuſcepto, illaqueatus tenebatur. Cuius rei fama cum ad aures Eliſabetæ perueniſſet, commota illa violatione diuini & humani iuris, nepotis dedecore, dolore neptis diſcordiæ periculo, in Beturiam Eſurim aduolat, quod oppidum modo ſeretium Badiozij dicitur à noſtris, præmiſſo nuntio, qui certiorem regem de aduentu ſuo facerent, & oraret, ne eodem ipſe in colloquium venire grauaretur. Ibi varijs crebriſque ſermonibus, quales in tanta macula domeſticæ turpitudinis, & infamia nominis Chriſtiani habere conueniebat: auia ſingulari probitate cū Nepote, iuuenem quodā æſtu cupiditatis efferueſcentem impulit, vt fidem daret honeſtius in reliquum tempus, & rege Chriſtiano dignius ſe eſſe victurum. Ab hoc colloquio digreſſa repetijt priſtinum ſuum otium, quum anni iam triginta ſupra mille trecēti numerarentur à natali Chriſti. Anno verò proximo perfecta æde ſacra, monumentum ingens è lapide ſigillatum, corporis reginæ poſt obitum quieta ſedes, in medio collocatum, cancellique circundatū ab omni parte. Id tantum ſpatij occuparat, vt de amplitudine templi, & dignitate multum diminutum eſſe videretur. Quapropter iam ſua ſponte inclinatū animum Eliſabetæ facilè inopinatus euentus impulit,

immiſit, vt alium quæreret ſepulchro locum. Nam illo ipſo anno, qui trecenteſimus triceſimus primus ſupra milleſimum à die natali Chriſti numerabatur, ita forte accidit, vt flumen vehementer auctus imbribus, quantum illa hominum memoria nunquam ante creuerat, quum alueus quamuis, vt ferunt, multò quàm nunc eſt, altior, tantam aquæ vim tamen capere nequiret, in ædificium recens irrumpens obrueret totum monumentum, & omnem dubitationem eius alio transferendi præcideret, ſi qua eſſet. Ergo partim ante, partim ſuper odeum (ſic enim appellant Græci locum in quo canitur chorus) quod è regione cellæ ima ſede fuerat ædificatum in extremo templo, ad mediam fere altitudinem excitare iuſſit ingentem Cameram lapideis fornicibus iunctam, quam quum mediam pariete [illegible] diuiſiſſet, partem alteram, quæ ſcalis adiri poſſet extrinſecus in formam ſacelli redactam ſedibus, altari, tignis adornauit: alteram interiorem Parthenonis parietibus penitus incluſam in modum odei ferreis clatris cōmuniuit, omnibus & exiſtimantibus, & palam prædicantibus non ſine nutu voluntateque diuina factum eſſe, vt ad eum locum flumen, quo nunquam antea perueniſſet, vi & impetu repētino penetraret, vt in eodem ædificio duo quaſi templa duoque odea conſtruerentur. Supra eam teſtudinem in editiore ſacello, ſtatuit monumentum, vt neq; templi partem vllam occuparet, & impediti magnitudine [illegible], [illegible] quantumuis [illegible] augeretur imbribus, [illegible] poſſet vlla ex parte. Conditos fama eſt in demoliendo ſepulchro, & ex infimo templo in ſublimem ſedem transferendo, [illegible]

 peruu-

permultæ operæ partim veſtibus labefactare conarentur; partim vndique deligatum funibus ad ſe rapere per ſcalarum gradus, nec tamen illa moles aſcenſu tam accliui poſſet commoueri; Reginam omnes voce cohortantem, Deum venerantem animo, tetigiſſe ſcipione, quo niteretur, ac repentè conuulſum, minimo negotio magna hominum admiratione fuiſſe ſublatum. In eodem loco monimentum Eliſabetæ neptis ſuæ, quæ educatione auiæ ad ſummam virtutem efflorescens, prius fuerat extincta, quàm ad maturitatem perueniret, poni voluit; vt apud quam & educata, & mortua fuiſſet, apud eandem ſepulta, Chriſti Liberatoris aduentum, & promiſſum bonis omnibus corporis decus expectaret. Raimundus Pontifex Conimbricenſis ædem ipſam cum ſuperiore ſacello, araſque omnes, & cæmeterium ritè dedicauit. Hac ſuſceptæ curæ parte, quæ quoniam erat religione propior, & coniunctior, prima omnium eſſe debuit, liberata Regina, cito domum ſe totam conuertit ad inchoatum cœnobium virginum ſacrarum, & excolendum, & ornandum; cuius omnes partes ita deſcripſerat, vt nihil commodius, nihil opportunius, nihil pulchrius illis temporibus fieri poſſe putaretur. Non enim ſpectabat ſolum, quid neceſſitas naturæ, quid diſciplinæ grauitas, quid illorum temporum paucitas requireret (etſi iam tum amplius quinquaginta virgines in illo collegio numerabantur) ſed multitudinem futuram tanto ante mente & cogitatione complectẽs, conſiderabat ſecum ipſa diligenter, quid vrbanum ſuum, quid ſtudium pietatis, quid diuina maieſtas poſtularet. Illum ſibi voluit eſſe viuenti tran-

quillum

quiſſum curatum portum, mortuæ quietam corporis ſedem, omni verò tépore animi ſui ſingularis aduerſus Chriſtianam religionem inſigne, atq; monumentum. Stat adhuc propter ripam, & manet illud opus amplum, excelſum, auguſtum, dignũ illa copia, dignũ religione & munificentiæ ſanctiſſimæ reginæ, cui præ detrimento, & incrementa noua, & dignitatem maiorem attulit, omnia conficéis & conſumẽs vetuſtas. Primum quadrata eſt area latitudine mediocri, circũ ex humilioribus ædificijs iam tũ ab initio cincta, vbi partim ſacri collegij neceſſariæ miniſtræ, partim inopes mulieres, quibus quotidiana cibaria præbentur habitant. Quartum latus ad meridiem vergens templo ipſo clauditur, porticu nõ magna a Valuis ad Partenonis ianuam pertinente. Id ſaxo quadrato antiqua illa opera, & artificio perfectum, tecto concamerato, duobus ingentium pilarum ordinibus triplicem teſtudinem ſuſtinentibus multis tabulis pictis è Beatorum ſignis adornatur. E regione Tholi, quo tegitur ara maxima, duplex odeum eſt, vt ſupra ſignificauimus, vnum plano pede, alterum ſupra concamerationem in altitudinem elatam, ante ſacellum ſtructum ſuperiore loco, & ſepulchrum Eliſabetæ. Ipſum autem ſacellum duplicem habet aditum, alterum ex templo gradibus lapideis benefactis, oſtio maiore, alterum ex porticu externa, arcto luminiſque exiguo oſtiolo, ijſdem, quibus ad ianuam aſcenditur ſcalis. Sed ſi quid præcipua, & prodigioſa ferè magnitudo facilè demonſtrat, quam frequentiam, quam ſpeciem, quam amplitudinem concepiſſet in poſterũ excelſi animi regina. Etenim nunc quũ ſolæ illę, quæ publicè ſolenniterq; vota nuncuparũt, altero tanto ſint plures, quãtum erant vniuerſæ; tantũ abeſt tamen vt

multitudine tanta compleatur, vt longè maiorem numerum capere poſſit. Lotus duo periſtilia magnitudine pari, diſpari nobilitate. Alterum fundum ipſi templo magnificentius exædificatum eſt: quatuor enim porticibus, opere teſtudineato tectis continetur, ea pilarum fornicatos parietes ſuſtinentium mole, ea multitudine columnarum, octonis columnis fulcientibus ſingulas pilas; vt cum omnibus opulentiſſimorum regum operibus amplitudine, artificio, firmitate certet. In medio impluuio ſtagnum eſt ingens, cuius in quatuor angulis totidem impoſiti fontes aquam fundunt iucundiſſimo ſono. Iuxta, puteus incremento ſuo fluminis inundationes multo ante prænuntiat magnum incommodum allaturas, niſi illo velut è ſpecula ſigno dato cauerentur. Quod ſpatij reliquum eſt, exquiſitiſſimis herbis, fruticibus, arboribus viret. hic, dictu mirum, quinque ſunt cubiculorum ordines, quorum quilibet non exiguo cætui ſatis eſſe poſſe videatur, duo præterea minores. Hic exedra longitudine ſeſquitertia latitudinis feneſtrarum, & aliorum tum frequentia, tum apta deſcriptione vehementer illuſtris, cuius vlteriores parietes emblemate vermiculato veſtiuntur: ea dignitate, vt ad omnes motus animorum conficiendos facta eſſe videatur. Hic denique cænatio tam longe lateque patens, vt ducentæ virgines in ea quam commodiſſime poſſint diſcumbere. Itaque cum propter hanc eam vaſtam magnitudinem, tum quia creſcente fluuio humore noxio redundat, ea non vtuntur: ante eam cænationem, foras eſt ad abluendas manus è labro, quem impendens cœlatio ſuperne ope-

operit columnis quadragenis quinis. Proxime ſtabat platanus, vetuſtiſſima in his oris arbor, ad opacandum locum patulis diffuſa ramis, quæ ſuperiore anno, quod pauxillum forte ſoli ad ſtirpes imas accidiſſet, nimia naturæ teneritate, vel minimæ iniuriæ impatiens, penitus exaruiſſe dicitur. Alterum periſtilium frequentibus arboribus, porticibus, columnis ornatum; ſed diuturnitate ipſa iam affectum, cænationem habet lapideis menſis, vbi nunc cibus capitur, & officinas, atque cellas multitudini tantæ neceſſarias. hortus vero bene magnus, & plurimis conſitus arboribus, partim ramorum amœnitate gratus, partim pomorum vbertate fructuoſis, circumuallatus altiſſimo pariete, non inhoneſtam, neque iniucundam animi remiſſionem præbet aſſiduo labore feſſis. Omnia rurſus, quà fluuium ſpectant, mediocri velut obiecto muro muniuntur extrinſecus, ad hibernos impetus fluminis arcendos. Tantum ædificium munifica reginæ liberalitas, quum donis quamplurimis & ſacrorum ornamentis decorauit, magnum etiam nunc vſum afferentibus, tum firmiſſimis opibus in perpetuum ſtabiliuit, atque fundauit. Vnde ad ducenta millia ſeſtertium annua percipiuntur: nec dubitant homines periti rerum, quin copioſiores fructus quotannis caperentur, ſi diligentius curarentur pecuniæ ab Eliſabeta contributæ. Non deſuit tamen pijs labori, atque huic tantæ largitati diuinum numen: habuitque res ea incrementa, quæ præſagus ille animus tanto ante prouiderat. Cētum namque veteranæ virgines obligatæ, & aſtrictæ ſolemnibus votis, riteque velatæ nigro velo, & quinquaginta Nouitiæ nondum tyrocinij tempore completo,

 flos

[illegible] Luſitanicæ nobilitatis, incluſæ in illo Parthenone [illegible] ſeuera diſciplina, magna exiſtimatione virtutis ac ſanctimoniæ caſtè, ac religioſe viuunt. His triginta mulieres intra ſacros parietes, totidē vel paulò plures foris ancillantur. Equidē apud ſuperos [illegible] credo gaudio reginam ex earum quinta numero, tum integritate, & modeſtia; quæ ſi modò viueret, quod eius erat ſtudium & ardor amoris, incredibili quadam voluptate perfunderetur. Verum ad illa tempora reuertamur, atque ad intermiſsá continuationem, & ſeriem rerum. Quo die primum in [illegible] cumbendum eſt, ambæ reginæ, ſocrus, [illegible] in Parthenonem veniunt, vnà cibum capere ſe velle dicunt. Extitit illud conuiuium non conquiſitiſſimis epulis, non condimentorum varietate, [illegible] vllo apparatu magnificum, ſed miniſtrarum ad menſas conſulentium ſplendore, virtuteque præſtanti nobile commemorandum. Nam poſteaquam omnes ſacræ virgines diſcubuerunt, reginæ [illegible] [illegible] habitu [illegible] [illegible] lantium [illegible], qua religio[illegible], longè maiore [illegible], & [illegible] quā ſi [illegible] ex omnibus terris collatæ [illegible] aliqua conditæ fuiſſent [illegible] Chriſtū Opt. Max. [illegible] in ſponſis ſuis indignas ſe eſſe credebant [illegible] munere & bono: & illæ viciſſim hinc regiam amplitudinem atque maieſtatem, hinc humilitatem atque indignitatem ſuam reſpicientes, tanta ſubmiſſione, & pietate ſic obſtupeſcebant, vt menſæ nunquam cibique atque adeo ſui prorſus oblitæ to[illegible]. Neque tamen huius ædis [illegible]

aut

aut Mouda ipſis Eliſabetæ religioſa benignitate iuncta incluſa tenebatur; ſiquidem duo ſacerdotia minora Sacellorum inſtituit duobus in oppidis, quæ in ipſius erant fide, alterum Leriæ, alterum Obedis, non longè ab Vlyſſipone diſtantibus, quæ pecunijs annuis aſſignatis in ſempiternum tempus conſecrauit. Sed illo maximè gaudebat opere, in quo maxima facta fuerat impenſa pecuniæ, ſtudij, laboris. Exultabat, triumphabat, efferebaturque lætitia, quum id abſolutum vndique videbat, ex quo permagna ad multos vtilitas, maior ad Deum, quam apud homines gloria redundatura videretur. Vna re ſe eam valde ſolicitam habebat, is aculeus & ſcrupulus animum quum obtinendæ ſalutis ſuæ, tum augendæ gloriæ diuinæ cupidiſſimum dies noctesque ſtimulabat ac pungebat, quod non ſatis expeditè Chriſti veſtigia ſequi ſe arbitrabatur, nimisque timidè mentem ad illam diſciplinam appuliſſe, cuius neminem ſapientem aliquando puduiſſet. Magnum quiddam eſſe, nec inuſitatum tamen, principatu ſe, & imperio ſpontè abdicare, à ſummoque faſtigio rerum humanarum, non ad æquam modo cum cæteris, verum ad infimam etiam vitæ conditionem religionis cauſa deſcendere, vel domeſticis nonnullorum didicerat exemplis. Sanctia namque ſoror Alfonſi ſeptimi Caſtellæ regis nuptiarum ſollicitudinem, & ambitionis occupationem penitus peroſa, quũ in Palæſtinam traieciſſet, peregrinis & ægrotis in Xenodochio ſeruire maluerat, quàm in ſolo patrio principem inter ſuos dignitatis locum obtinere. Et Eliſabeta Pannonia mirabili altitudine animi omnes opes, honoresque contempſerat: & Iacobus Aragonius filius fratris declaratus hæres re-

gra[illegible]s procerum, patriſque precibus adduci po-
tuerat, ne tantam poteſtatem ſibi oblatam vltro ab
ſe abiudicaret. At vero ſe magno inſtructam eſſe co-
mitatu, illuſtres clientelas, ingentes pecunias, am-
plas opes habere, nihil ferme de regali apparatu cer-
nebat fuiſſe detractum. Etiamſi delectaretur hone-
ſtiſſimis rebus, nimis multa ſolatia tamen reliqua
ſibi eſſe putabat, & in ſtudio virtutis vndique [illegible]-
bus, & ſudore circumſeptæ [illegible] ſæpenumero [illegible]
men foris & inanem neſcio quam ſpeciem dignitatis
[illegible] aliquando [illegible]
mabat perfectam vitæ rationem [illegible] am-
[illegible], quorum [illegible] impe-
dimento poſſet eſſe. Quid enim [illegible]
[illegible] copia, & abundantia fortunæ, quando libeat, &
in quas velis eſſe liberalem, & [illegible] ſuperes,
[illegible] quum
nihil habeas, multaque [illegible]
carentem, [illegible] contentum, [illegible] omnem
[illegible] ſibi
[illegible] eſſe iu-
dicandum. [illegible] facultates re-
[illegible] familiam [illegible]
[illegible] ſua
[illegible] obſtare
[illegible] potius adiu-
[illegible], neque
luxuriæ, ſed bonitati, ac moderationi facultatem
& materiam præberent. In dubio erat animus. Par-
tim enim ad perfectum officium alacritate quadam
iniecta diuinitus incitabatur, partim incerta quæ-
nam eſſet voluntas Dei verebatur, nequid aliud
magis a ſe requireret. Adhibet in conſilium eos,
quibus

quibus ob exiſtimationem doctrinæ atque vitæ, ſum-
mam fidem rerum omnium ad religionem, & animi
ſalutem pertinentium haberi oportebat. Exponit
quid iam dudum agitaret animo: cupere vehementer
remittere nuntium humanis curis, abiectiſque rebus
omnibus, dignitate, fortunis, comitatu, in ædem ſan-
ctæ Claræ ſe prorſus includere, & extremam ſene-
ctutem ſuam, quando florentem adoleſcentiam non
licuiſſet, omnino Deo conſecrare. Docet quidnam
voluntati ſuæ maxime obſtaret: ſententiam rogat
nihil facturam ſe eſſe confirmat, niſi quod ipſi gratiſ-
ſimum & acceptiſſimum fore cæli, terræque rectori,
& parenti iudicauiſſent. Illi & ſi excellentis cuiuſ-
dam animi, perfectæque virtutis eſſe intelligebant,
ſegregatis omnib' fortunæ bonis nihil omnino poſ-
ſidentem in alterius eſſe poteſtate, ſuperiorem tamen
Eliſabetæ vitæ curſum intuentes, futuraque ſimul
conſulentes inopiæ multorum, circumſpectis omni-
bus, quoad humana mens aſſequi valet, probatio-
rem, & iucundiorem Deo videri fore ſtatuerunt ho-
minum ſubleuandorum curam, quam his deſtitutis
parum neceſſariam reginæ moribus incluſionem, &
negotij fugam. Talium virorum autoritate, omni du-
bitatione ſublata, & eo, qui ſolus reſidebat, ſcrupolo
ex animo euulſo, multo etiam, quam ante vehemen-
tius & diligentius, & liberalius in excitandis iacen-
tibus, ſuccurrendo afflictis, tuendis inopibus, miſeris
iuuandis, ſuſtentandis pauperibus, curandis ægrotis,
mortuis humandis elaborauit. Vnum adhuc reſtat
ex hoc genere facinus pulchrum, inſigne, memorabi-
le, quod neque ſilentio præterire ſine flagitio, nec ſi
quis hæc aliquando leget, ſine indignatione deſide-
rare. Anno tricesimo tertio ſupra milleſimum tre-

centeſimum ab ortu Chriſti, regina Conimbricæ commorante, durior in dies annona fieri cœpit: quod malum ita breui tempore auctum eſt, multis, vt fit, comprimentibus frumentum quæſtus cauſa, vt iam inopia plane, ac fames grauiter vrgeret ciuitatem. Veniebat frumentum quinis denis ſolidis eius ætatis nummis in ſingulos modios, hoc eſt, ſeptenis vicenis teruntijs. Nam inſtituto Luſitanorum regum ſancitum eſt, quinis veterum ſolidis ante milleſimum quadringenteſimum quadrageſimum ſextum annum à partu virginis nouenos teruncios, quos numos æreos regales Luſitani vocant, contineri, vt ſinguli pro teruncio, duobusque ſemuncijs, & paulo plus duabus ſextulis valerent. Erat autem modius ille non maior, [illegible] te qui puero vix hebdomadæ cibaria præberet. Id pretium nunc vehementer optandum, quum nihil eſt præter pecuniam vile, temporibus illis optimis erat inauditum, neque ex tam [illegible] multitudine quiſquam tantam aliquando videre, vel audire meminerat rei frumentariæ difficultatem. Quare permota ciuitas, & [illegible] enim [illegible] naturæ [illegible], cum nauſea ſordidos, inſolitoſque cibos [illegible], ſed etiam verecundiam, humanitatem, fidem, & (quod eſt mirum modum magis) præcipuum illum amorem in partus ſuos, ab ipſa natura ingeneratum, & penitus incluſum in omnium animantium ſenſibus, quo etiam beſtiarum immanium feritas delinitur atque permulcetur, funditus tollat. Nam in obſidionibus diuturnioribus ab omni commeatu intercluſi oppidani, conſumptis cibarijs, hac vna premente neceſſitate, ſæpe

[illegible]

iumentorum ſtrages ediderunt. Sanè feles, canes, mures deuorarunt: aliaque multa in iucundiſſimis cibis habuerunt, quorum neque aſpectum oculi, neque aures nomina ipſa ferre poſſunt: qui etiam acti rabie non hoſtium modo, verum etiam ſuorum cadauera dentibus confecerunt. Matres verò præcipites amentia, partim recentes fœtus cum magno cruciatu corporis editos, maiore cum animi ſenſu & dolore in ventrem, vnde in lucem eduxerant, abſtulerunt; partim filiolos, quos educabant, & iugularunt, & coxerunt, & lacrymis fletuque conditos, neque digitis capere, neque mandere dentibus, neque lingua depellere, neque ſtomacho recipere perhorruerunt. Hæc igitur vis tam deteſtabilis, quæ beſtiarum ſimillimos, aut etiam beſtijs crudeliores homines reddit, etſi tum non tantam Conimbricenſibus neceſſitatem impoſuit, vt veteres illæ tragœdiæ renouarentur; tamen ita ſæuijt, vt ſola illa inhumana, & barbara immanitas deſideraretur; neque vlla præterea, quæ in tali re memorabilis ſcribentibus, incredibilis legentibus, audientibus ficta & commentitia videri ſolet, clades abeſſet. Erat miſera ſpecies, & flebilis totius ciuitatis aſpectus. Ora, vultusque omnium triſtitia, mœroreque defixi. Mentes ipſæ mortis impendentis expectatione territæ, corpora horribili quaſi tabe conſumpta, color exhauſtus, fractæ vires. Miſceri omnia clamoribus: perſonare publica & priuata loca ploratu, eiulatuque mulierum, non matronas dignitas, non virgines pudor, non pueros metus, non viros grauitas domi retinebat: ſed omnes velut lymphati, & attoniti partim liberos paruos, partim ætatem ſuam tollentes, fut-

tes, ſurſum deorſum temerè curſitabant. In tanto & tam inſanabili malo ciuitatis enituit maximè benignitas, & miſericordia ſanctiſſimæ reginæ, quæ idcirco ſe diuino conſilio ſentiens ad illud tempus eſſe reſeruatam, vt illi incommodo aliqua ex parte, ſi non poſſet omnino, mederetur: pecuniamque ſuam, non tam ſuam, quam indigentium eſſe reputans, patefecit horrea, theſauros aperuit, alijs frumentum, alijs carnem, alijs nummos diuidebat; non inopes, non locupletes, non pueri, non ſenes, non viri, non fœminæ, non ſacri diuerſarum diſciplinarum homines, non profani ianua & aditu prohibebantur: habebatur eius domus frumentarium, ſubſidium diuitiarum, [illegible]x inopiæ & miſeriæ plebis, cella penaria omnium fame laborantium. Ea res non mediocrem metum afferebat domeſticis ipſius, verentibus ne quando tanta largitas & beneficentia & ſibi noceret & reginæ. Cogitabant enim magnitudinem calamitatis, multitudinem hominum, longum & minimè [illegible] animum Eliſabetæ, præſentem inopiam cernebant: futuram copiam præſtare nemo poterat: res erat anguſta, ſpes multo anguſtior, certa pernicies, incerta medicina: timebant timidi & anguſti homines, & omnia deſperantes, ne ſi tam largè ſuppeditare pergeret in tanta penuria, intra paucos dies, abſumptis omnibus, opem ab illis ipſis petere fruſtrà cogerentur, quibus antea tuliſſent. Adeunt reginam, periculum verbis exaggerant, tempeſtatum varietatem, & inconſtantiam ante oculos proponunt: ſi ſe, ſi familiam ſuam vniuerſam ſaluam velit, moderetur benignitati ſuæ, ne omnia vno puncto temporis effundat: humanitatis eſſe, nec hominibus probari, neque grata Deo, quæ copias æquius ſit ad [illegible]

prouiſi-

proximorum periculum ſeruari, eas ad alienos incautè transferre. At illa modicè ac leniter caſtigans timiditatem, anguſtiasque pectoris, bono animo eos eſſe iuſſit: magnificentius de diuina clementia, & benignitate ſentiendum, ſperandum, loquendum eſſe. Si pereuntibus ciuibus, quum poſſet, non ſubueniret, tum eos iure timere potuiſſe. Quandiu officium faceret, non eſſe verendum, ne Deus illos interire fame pateretur, qui periculo ſuo præſentem aliorum interitum anteponentes, copiis ſuis & diligentia tantam generis humani peſtem depuliſſent. Sibi quidem mortis quoddam genus eſſe vel ipſa morte grauius, & acerbius videre quenquam inedia pereuntem, cui facile ipſa opitulari potuiſſet: neque dubitare, quin omnium miſerorum vitam, & ſanguinem à ſe repetiturus eſſet ille vindex ſeueriſſimus: eius fidem & miſericordiam ſuam implorantes, niſi ſeruaſſet, quum facultas non deeſſet, occidiſſe optimo iure videri poſſet. Itaque tantum abfuit, vt ſtudium eius benignè faciendi retardaretur; vt ſe ipſa promptior & alacrior facta videretur ad elargiendum, vt non viuorum modò corpora, ſed exanguium etiam cadauera mortuorum regiis beneficiis & humanitate recrearentur. Quanquam enim eius beneficentiæ fontes omnibus patebant, neque a beneficio capiendo quiſquam excludebatur; tamen in tanta multitudine & inopia rerum non erat recuſandum, quin multi perirent, priuſquam ſubſidium aliquod poſſet adferri. Eos igitur, quos obiiſſe renunciatum eſſet, & conquiri iubebat diligenter, & humandos religioſe curabat: ſumptum in ſepulturam ipſa faciebat: vt eadem & viuentibus alimenta præberet, & funeris exequiarumque humanitatem mortuis impartiret. In-

graueſce-

grauefcebat intereà magis ætate ſanctiſſimæ reginæ, & nauigantium ratione & modo, quo longius a terrarum curſibus prouehebatur, hoc propius abeſſe ab illa vera patria, quam petebat. Nam vt ij, qui redeuntes ex India, multis obitis periculis, grauiſſimis tempeſtatibus exantlatis per aliquot menſes nihil niſi cælum, mareque viderunt, ſtatim, vt oram aliquam procul aſpiciunt, maiore quadam efferuntur lætitia, quam vt eam animus capere poſſit: ſic illa ex tam longa iactatione vitæ, quaſi terram viſa ſibi videre, incredibile quoddam & immortale gaudium animo concipiebat. Et quum ſecundas aduerſasque res pari ſemper æquitate animi tuliſſet; tum ei longè iucundiſſima erat præteritorum laborum memoria iam ex alto portum intuenti, moleſtiarum & ſolicitudinum terminum, initium immortalis & beatæ vitæ: quo vbi perueniſſet, in omnem æternitatem, inter piorum animorum cætus eſſet à ſuperioribus difficultatibus, & contentionibus conquietura. Tum maximè recordabatur, quam multis e periculis corporis, & animi fuiſſet diuina ope ſeruata: tum ei cætera beneficia ab illo cæleſti parente omnium accepta in mentem veniebat & ſingula per ſe, & aceruatim vniuerſa: quorũ recordatione vehementius incenſa, tendẽs in cęlũ manus, ingentes aſſiduè tot, tantorumq; bonorũ autori ſuo gratias agebat. Primum enim quod illa merito in ſummi beneficij loco ducebat, cuius demũ amoris erga ſe fuiſſe, ita per media pericula vndiq; iminentia dirigere omnẽ vitę ſuę curſum, vt nec incideret in cęca perfidiæ vada, nec ad ſpumãtes libidinũ ſcopulos adhæreſceret, nec ſecũdæ fortunæ flatu in ſuperbię gurgites inſuperabiles impelleretur, nec aduerſæ furioſiſſimis fluctibus, & turbulẽtiſſimis procellis obrue-

rerum quanta deinde liberalitatis & munificētiæ, nō contentū tot animi præſtātiſſimis bonis, cæterū nō merēti donatis & cōceſſis, alia tā multa, tā præclara corporis, & externa munera, & dona tanquam corollarium quoddam addidiſſe: ſe parentibus, auis, maioribus ortam regib' nuptiſſe cū ampliſſimo genere, in ampliſſimā familiam, ſanctiſſima corporis valetudine magnis omnibus præditam, vt nihil Dei cauſa facere non poſſet. Curriculum porrò vitæ non exiguum, nec breue nactam eſſe, vt eum magnum haberet [illegible] viuendi, & benefaciendi facultatē, & voluntatē, ſpatiū ad perficiendū nō defuiſſe. Vixiſſe iam annos amplius ſexaginta: vidiſſe tot reges, tot reginas, & hos oēs affines & cognatos ſuos: quos ne alienos quidē vll' ante ſe forte vidiſſet. In Aragonia præter parentes, auiāque ſuā, Iacobos duos cū vxorib', alterū patruū maioris Balearis, alterū fratrē patriæ regem; Alfonſum itē & Fredericū fratres, priuſquā regnū obtinerēt, ſiculum hic, ille Aragonium; apud Caſtellanos Violātiam amitā ſuam nuptā Alfonſo ſapienti, Sanctiū, & eius cōiugem Mariam, Ferdinandum generum ſuum Conſtantiamq; filiam, Alfonſum nepote cum vxore Maria nepte item ſua, & Leonoram ſororē Alfonſi, priuſquam Aragonio regi collocaretur: in Luſitania ſocrum ſuam Beatricē, Dionyſium, Alfonſum filiū, & coniugem eius Beatricem. Alios præterea multos per ea tempora tum in Hiſpania, tum apud exteras re[illegible] gentes, partim ſe maiores, partim minores natu, quos fama tantum cognouiſſet: neque tamē vllum vnquam eſſe, aut proximis annis fuiſſe regem apud Chriſtianos, qui cum non eſſet aliquo ſanguinis, & cognationis iure coniuncta. Hoc autem toto ſpatio ſi no omnia officia diuinæ in ſe benignitatis, &

amoris

amori debita præſtitiſſet, certè laboraſſet quoad imbecillitas humana pateretur, ne quod ſciens & prudens omitteret pietatis genus. Opus illud tantum inchoatum ipſius cura, perfectum, & expletum omnibus ſuis numeris, & partibus vidiſſe, neque ea lætitiæ voluptate caruiſſe, quæ maxime ſyncera & conſtans & perpetua ex rectè, honeſtiſque rebus [illegible] percipitur. Tempus iam eſſe videbat ex hac turba, colluuioneque diſcedere ad illud diuinum [illegible] concilium cœtumque [illegible] & huius exilij miſeri dolore, anguſti [illegible] tietate, [illegible] cœleſtis deſiderio, Deum [illegible] commodum ipſi videretur, vt poteſtas ſibi fieret ex hoc hoſpitio, vel potius carcere migrandi in illam altiſſimam & illuſtriſſimam beatorum domum. Hæc aſſidue meditabatur animus grauiſſima, hæc dies noctesque peruoluebat animo, eadem (vt ſit) [illegible] ſæpenumero cum ſuis. Atque vt ij qui gloriæ cupiditate flagrantes, magnitudine præmiorum allecti, ſpe palmæ conſequendæ in ſtadium certaturi prodierunt, pariter è carceribus emiſſi currunt principio tardius, poſtmodum, quo propius ad calcem accedunt, eo contendunt vehementius, vbi verò iam eſt in conſpectu præmium propoſitum, quantum poſſunt, & corpora & animos contendunt ad curſum: ſic illa in hoc vitæ curriculo, & quaſi certamine quanto magis appropinquabat ad mortem, tanto vehementius naturæ tarditatem increpabat: & poſteaquam ſenectute propter longius animo iam proxima illa præmia diuina cernebat, tanto potiundi ſtudio efferebatur, vt omnis ei celeritas lenta nimis & tarda videretur. Iam ad quartum & ſexageſimum annum peruenerat, quum antiquiſſimum & ſanctiſſimum ſancti Iacobi templum

templum indigenarum, exterarumque gentium inſolita frequentia celebrari cognouit. Redierat enim annus ille temporis ſpacijs legitimis expletis, quo ſummorum Pontificum conceſſu, & munere, quicunque ſepulchrum Apoſtoli caſtè pureque viſerent, vitam anteactam deplorarent, reliquam in poſterum corrigere, commutareque decernerent, non criminum modò veniam, verùm etiam pœnarum omnium pro eis perſoluendarum liberationem aſſequebantur. Lobelarum noſtri vocant, verbum mutuò ſumptum a Iudæis ad latinorum conſuetudinem loquendi detorquentes. Vt enim apud illos inſtituto veteri, quinquageſimo quoque anno, ſolenni tubæ cantu, poſſeſſiones antiquis dominis, ſeruis libertas reſtituebatur; ſic moribus noſtris, & vetuſtiſſimo ſanctiſſimorum patrum decreto, quoties vlla ſubeſt iuſta & pia cauſa, pontificijs diplomatis, liberantur debitis pœnis, qui vitiorum ſeruitutem depulerunt, animorumque poſſeſſio ab improbis direptoribus, quibus ſeipſi addixerant, transfertur ad Deum. Eliſabeta, quanquam ita vixerat ab ineunte ætate, vt ei perparua, leuiaque crimina luenda eſſe viderentur; ſic autem ſeipſa ſemper afflixerat, vt vel pro maximis, & pluribus delictis pœnarum ſatis putaretur eſſe perſolutum; longè tamen aliter de ſe ipſa ſentiens, ne extrema quidem ſenectute, viribus exhauſtis, confecto corpore tam præclaram occaſionem, & promerendi gratiam cæleſtem, & ſatisfaciendi de peccatis admiſſis prætermittendam eſſe duxit: Neque committendum, vt tantum, & tam inexpectatum bonum diuina benignitate, Pontificum Romanorum pietate, & cura oblatum, nec opinanti vllam ob cauſam amitteretur: Amitti enim ſine dubio, quod aſſequi negligas,

gligas, quum poſitum id ſit in tua poteſtate. Nemo eſt qui non ſit expertus, vel audierit certè aliquando, quam ſint itinera moleſta, longiuſcula præſertim ſiue pedibus conficiantur, ſiue iumentis, quantam afferant & corpori defatigationem, & animo ſatietatem ægritudine coniunctam. Itaque vulgo iam dici ſolet equitem iter facere laborioſum eſſe, peditem verò mortiferum & intolerandum. Quod ergo laborioſum tantum homines putant, id illi ſuaue nimis, iucundumque viſum; quod tormentum, quod mortem vocant, quod crucem; id & ſanctiſſimo quodam odio inimici domeſtici, hoc eſt corporis ſui, delegit, & ardentiſſimo ſtudio cæleſtis boni. Sentio vix hoc eſſe credibile, quod dicam, video nullam fidẽ habiturum apud eos, qui de præſtantiſſimis hominibus, quæ narrantur, ea non ipſorum viribus, ſed ſua imbecillitate metiũtur. Verùm nec omittere par eſt quod apud autores idoneos inuenio: nec intelligo cur minoribus facilioribusq; rebus, à quoquam abrogetur, quæ tanto maioribus & difficilioribus ab omnib' tribuatur fides: & ꝙ incredibile faciũt anguſtiæ pectoris noſtri nõ capientes tantam virtutis lucẽ; id rurſus pronum reddit ad fidem, eius quæ feciſſe dicitur, inuſitata magnitudo animi, & deſpectus humanarum rerũ. Superiorib' annis magna ſtipata virorum, fœminarumq; frequentia more regio multa ſecum dona portans ad id templum adierat: nunc longè aliam rationem inſtituit. Paucis enim comitata fœminis, mutato veſtitu, ne agnoſceretur, pedibus & iuit & redijt; ſarcina ſua grauis, vicatim, oſtiatimque mendicans; hoc Deo gratior, cæteriſque cæleſtibus admirabilior; quod nullus applauſus, nullus popularis fauor proſequebatur ignotam. Incidit hoc religioſum iter, vt hiſto-

rici regij notarunt, in annum trecenteſimum trigeſimum quintum ſupra milleſimum à Chriſto nato, quod & diſſimilitudine cauſarum, & varietate modi, & diſcrepantia temporum diuerſum ab illo, de quo ſupra diximus, apparet extitiſſe. Quanquam ſuſpicio nonnulla ſubeſt eandem peregrinationem variè narrari, maioremque autoritatem antiquioribus literis deberi, quibus de hoc itinere ſolum illa, quæ ſuperiori libro ſunt expoſita, continentur: ſed rem ambiguam quando dijudicare non poſſumus, in medio relinquimus, alterutrum affirmantibus non magnoperè repugnaturi. Dum hæc in Luſitania geruntur; apud Caſtellanos rex Alfonſus, aſpernatus auiæ conſilia, fideique illi datæ parum memor, etſi iam ei filium hæredem pepererat Maria coniux; tamen ita viuebat, nō modò vt Leonoram domo ſua non extruderet, ſed vt totum etiam regnū ſuum in domū Leonoræ deferret; quæ cum eſſet regia turba referta, & ab omnibus ordinibus quotidiè frequentaretur, vxore tecta derelicta mœrebant taciti, dominique ſui miſerrimam ſeruitutem deplorantia, veterem dignitatē ſuam requirebant. Nihil erat tam difficile factu, quod per Leonoram non impetraretur: nihil contra tam ęquum, & facile, quod inuita Leonora poſſet obtineri. Illa in publicis quæſtionibus, criminumque cauſis, illa in iure ciuili, priuatorumq; omnium cōtrouerſijs populo præerat vniuerſo; illa in omni negotio domi militięque dominabatur; illa iura, leges, honores, imperia, ſacerdotia, denique regem nondum conſilio ſatis ac ratione firmatum, quum pellexiſſet ijs omnibus rebus, quibus illa ætas capi, ac deliniri poteſt, habebat in ſua poteſtate. Ipſi quoque reginæ grauiſſimæ, modeſtiſſimæque fœminæ nu-

dum regiæ dignitatis nomen retinenti cum Petro filio, ſi quando virum conuenire vellet, erat illa turpitudo magno cum dolore ſubeunda, vt pellicis impuriſſimæ limen adiret. His tantis iniurijs filiæ, publicę tranquillitatis cauſa diſſimulantis & tacentis, ad Luſitaniam cùm literis quorundam, tum multorum ſermone perlatis, non mediocris facta eſt animorum offenſio; ſed ea incluſa penitus in pectore continebatur. Ecce autem irritatos animis reges, ac ferè nihil niſi occaſionem aliquam expectantes inchoandi belli noua res propè etiam arma capere cogebat. Nam quum Alfonſus Luſitaniæ rex à Ioanne Emmanuele nobiliſſimo, potentiſſimoque viro peteret, vt eius filia Conſtantia Petro filio ſuo hæredi nuptum collocaretur, Caſtellano aliud ſpecie ſimulationis oſtentante, aliud obſcurè moliēte, palàm verbis præ ſe ferente lætitiam, clam matrimonium inuiſum ſibi varijs artibus impedire conante, Luſitano verò multò etiam amplius, vt aſſolet, quam res erat, & ſuſpicante, & audiente, nihil videbatur eſſe propius, quam vt alteri bellum ab altero indiceretur. Attulit ille nuncius tantum Eliſabetæ dolorem, quantum ſanctiſſimam reginam & auiam ex diſſidio propinquorum regum, nepotumque ſuorum capere par erat. Grauiter interdum & acerbè querebatur extitiſſe homines tam inimicos pacis atque otij, tam capitales hoſtes patriæ, tam amantes commodorum ſuorum, vt iuueniles inimicitias verbis, & fortaſsè falſis abſentis apud alterum criminationibus inflammarent; eoſque ad vim, ad ferrum excitare conarentur, qui ne diſſentire quidem ſine ſcelere nefario poſſent. Quid enim eſſe fœdius? quid deteſtabilius? quid hominibus atque cæleſtibus inuiſum magis, quam ſobrinum à ſobri-

à ſobrino; filium ſororis ab auunculo, ſocerum à genero diſſidere? quarum neceſſitudinum, ſi qua ruſticanos aliquos homines & imperitos, aut quoſuis alios mediocri conditione iunxiſſet, quantam apud eos futuram fuiſſe vim ſanguinis? quam ſancta cognationis & affinitatis iura? quam fidem, charitatem, pietatem? quam voluntatum, ſtudiorum, ſententiarum, ad extremum omnium diuinarum humanarumque rerum cum beneuolentia conſenſionem? at opulentiſſimos reges, quorum vitam quum in rebus alijs, tum in amicitijs ac propinquitatibus colendis oporteret ſpecimen eſſe cæteris, illa educatione, diſciplina, humanitate, cultu, cognationes, affinitates, pacta, conuenta pro nihilo putare, quæ plurimum, vt æquum eſt in ruſticis moribus, in victu arido atque ferino, in illa horrida, incultaque vita valuiſſent. Primum illud omnino reprehendendum eſſe, talium virorum aures, quas in tanta coniunctione vel criminibus grauiſſimis deceret eſſe clauſas, non modò querelis omnium, verum etiam leuiſſimis ſuſpicionibus, falſisque rumoribus, & ſuſurrationibus patere. Deinde ſi eiuſmodi ad alterum crimina de altero delata fuiſſent, vt nullis neceſſitudinibus diſſimulanda eſſe viderentur, ſpectare eos certè debuiſſe, quantam & victoribus, & victis eſſent allatura peſtem arma, multorumque innocentium malis & miſerandis patriæ ruinis commotos omnia conſilio prius, & æquitate ſapienter experire malle, quam vi & armis. Bello nanque ſuſcepto, quem eſſe tam improuidum & tam cæcum, qui non proſpiceret, quanta calamitas accipienda foret, quum vniuerſa Hiſpania pacata neque reprimi barbarorum impetus, neque improborum audacia retundi poſſet? ſe quidem

 vide-

videri ſibi videre mortales quamplurimos à culpa remotiſſimos crudeliſſima morte mactatos, principes autem tantæ calamitatis duces & autores per medias inſontium ſtrages immani voluptate bacchantes: cernere animo erectam arrogantiam impotentium, intolerandamque ferociam, temperantiam, verecundiam & modeſtiam iacentem, atque depreſſam: intueri cogitatione perturbatas religiones neglecta ſacra, probitatem non ſolum territam metum, ſed etiam afflictam malis, contra dominantem cupiditatem, volitantem audaciam, improbitatem, quum in medio tumultu regnantem, tum auctam alienis incommodis & corroboratam: Verſari ſibi ante oculos, vi victas leges, euerſa iura, fora vacua, derelicta tribunalia, regum in compeſcendis latrocinijs, cæteriſque vindicandis maleficijs remiſſionem animi, & diſſolutionem, hoſtium verò communium furioſos in Hiſpania vexanda conatus & diram crudelitatem, abacta pecora, ſegetes corruptas, exuſtos vicos, metu perculſas vrbes, & alia his indigniora, quæ, inteſtinis odijs occupatis animis regum, vitari nulla ratione poſſent. Quibus permota periculis, impenſius, quàm antea, rogabat Deum, ſi inimicitiæ tacitæ regum, eò prorupturæ eſſent, vt ferro decernerent; vt antequam ad impia veniretur arma, ex hac longinqua morte potius quam vita diſcedere ſibi liceret. Quid enim mali ſe non vidiſſe, ex quo domo patria profecta veniſſet ad regnum? ſpectaſſe primum in Luſitania quaſi germanas fratrum acies: apud Caſtellanos deinde Dionyſij Ferdinandique arma cognata: apud eoſdem rurſus & Aragonios fratris generique ſui contentionem acerbiſſimis odijs incenſam, iterum in Luſitania parentis ac
filij

filij non modò diſſenſionem, ſed etiam cruentum bellum ne pateretur, quæ tot & tam graues dolores ſuſtinuiſſet, & tam diuturnos, eam iam ſemiuiuam, extremo vitæ tempore vel acerbiſſimum illum oculis haurire; vt duos filios, alterum natura, alterum indulgentia & amore inter ſe pugnantes aſpiceret, & totam Hiſpaniam denuò flagrantem formidoloſo bello. Audijt has humiles merentis Reginæ preces Deus Optim. Maxim. & quod illa petebat, piè, benignè, ac liberaliter ipſi conceſſit. Etenim non obſecratione tantum, & notis agendum exiſtimans, quum res etiam laborem, & celeritatem, & curſum flagitaret, æſtate proxima, quam ab æde ſancti Iacobi reuerterat, tametſi tempus anni caloribus im modicis, quanuis florentiſſimam ætatem ab itinere faciundo deterrebat, grauis autem ſenectus & affecta, ne tempore quidem peridoneo viæ longæ moleſtias ferre poſſe videbatur, multum diſſuadentibus domeſticis & orantibus, ne dubia ſpe proficiendi in apertum periculum adduceret incolumitatem ſuam, Conimbrica profecta eſt eo animo, vt vtrumque regem conueniret, neque prius conquieſceret, quam eorum animos ad concordiam precibus & autoritate flexiſſet. Nihil enim tali tempore vel reipublicæ vniuerſæ ſalutarius, vel hominibus iucundius, vel omnibus cælitibus acceptius facere ſe poſſe in animum induxerat; quam ſi tantam Hiſpaniæ peſtem naſcentem, antequam adoleſceret, aduentu ſuo, induſtriam, cura, labore deleret: id vt perfici poſſet, nihil neque moleſtiæ, neque periculi eſſe fugiendum: ſi fortè iam tantum in omnes furoris excitatum eſſet incendium, vt reſtingui nequiret, niſi patriæ ruina; ſuam ta-

men operam Hiſpaniæ deflagranti fruſtra ſubuenire conatæ non minus Deo gratam & probatam fore, quam fuiſſet, ſi tam acerbam iracundiæ flammam, æquitatis remedijs, ab vtriuſque regni pernicie depuliſſet. Eſt in agro Eborenſi viginti quatuor millibus paſſuum ab vrbe verſus orientem ſolem Stremocium oppidum, nouum vt videtur, ſed benè ædificatum, argilla rubra, figlinisque nobile, ſed marmore partim candido, partim puniceis, purpureisque venis, & maculis intercurſantibus mirè diſtincto longè nobilius, & pro magnitudine quum primis frequens & copioſum. Habet arcem ex marmore polito, duplicem murum, magnam aquæ putealis & fontanæ copiam: hortos non paucos, & amœnos, & omni pomorum genere abundantes. Hîc, quod non exiguum lumen, & ornamentum affert, multi viri nobiles habitant, multi equites honeſtiſſimi, ſummo ſplendore ac dignitate. Hic verſabatur eo tempore cum vxore Luſitanus, vnde facilius propter locorum propinquitatem & hoſtiles generi conatus intelligi, & quæ ad filij nuptias pertinerent agitari & confici poſſent. Quò quum Eliſabeta primum perueniſſet, inde placato filio ad nepotem etiam aduolaturam, partim ætatis imbecillitate, partim caloris iniuria, partim itineris defatigatione cœpit ægrotare, primo leuiter; mox ita vis morbi creuit, vt alijs nihil dum ſuſpicantibus, ei præſertim ætati facilè ipſa mortem impendere ſentiret. Nam repentinus alterius brachij tumor, graué, & acerbum cum febri dolorē faciebat. Die lunæ quodam cum affligaretur vehemētius, pedem è cubili non extulit, & ex eo tempore in ſacellū regium ad rem diuinā venire deſijt, vt antea ſolebat. Curabatur diligentiſſimè; filius nuſquam à matre diſco-

diſcedebat, aderat perpetuo ſocrui non ſecus ac parenti ſuæ nurus: omnes eius valetudini ſingulari quodam ſtudio ſeruiebant, eaque omnia faciebant ſedulò, quæ cariſſimam anum velle ſcirent. Ecce autem aliquando multis præſentibus, nihil videntibus cæteris exclamat; filia filia (ſic enim illa nurum appellabat) concede quæſo locum illi mulieri. Cui mulier? ait nurus admirans. Illi, illi, inquit, quæ amictu candido venit ad nos. Obſtupuerunt, qui lectum circunſtabant: nemini dubium fuit, quin illa ſibi ditiſſimam & quaſi deuotam fœminam præſenti ope matris & iucunda viſione confirmaret ad illud ſupremum vitæ certamen, quæ multorum morientium animos vel eodem, vel non diſſimili modo iam ante corroboraſſet. Proximo die Iouis, quam lecto teneri cæperat, ante diem quartum Non. Quintileis multo mane criminibus expiatis confeſſione plena pietatis, plena doloris, per eundem ſacerdotem ſacrificium fieri præcepit, extra conclaue, apto & ad videndum, & ad audiendum loco: quo peracto, vt erat ardens ad colendam religionem, & erecta, humiliter de ſe ipſa ſentiens, & eximia aduerſus numen diuinum reuerentia commota, ab Iacobo auo grauiſſimo magiſtro edocta, qui ſacerdote ſacroſancta peragente myſteria neminem intra cellæ cancellos conſiſtere patiebatur, & ipſe procul ab ara nullis circum præpendentibus peripetaſmatis incluſus more regũ, in oculis omnium vtroque genu nitebatur, ſurgit è lecto, veſtes induit, procumbit in genua: ſic ad altare ferè repens accedit, vbi ſacrificulus aduenientem expectabat: ibi cum fletu, & eiulatu, mirifico animi ſenſu, quaſi valere iubens omnia humana, è terris migratura in tam longinquas, & tam ignotas regiones,

viaticum neceſſariũ Corpus Chriſti ſumpſit. Sed nemo quiſquã erat, qui tam cito ex illo dolore eã crederet eſſe morituram. Ipſi Medici longius adhuc abeſſe periculũ ſuſpicabãtur. Illo ipſo die multum diuq; cum filio collocuta fine arbitris, de ijs credo quæ ad pacem pertinerent, iam ſub noctem cænatũ ire iubet. Alfonſus etſi iam cænauerat, cum medicis tamen paululum ad oſtium cubiculi conceſſit. Tollunt ſubitò mulieres clamorem, quæ cum Regina remanſerant: quo rex tumultu reuocatus accurrit; vt id etiam excellenti reginæ tribueretur, quod orauerat ſæpe Deum, vt moriens præſentem filium haberet, flens nihil ſentientem appellat: oſculatur ſemiuiuæ parentis manus, cui vitam qua fruebatur, toties habebat, quoties fuerat per eam imminenti morte liberatus. Cæterum aliquatulum ex illo dolore recreata, cum Alfonſo de illa virium, animique defectione, de Leonora filia ipſius, & alijs nepotibus ſuis, cęteriſque rebus neceſſarijs, vt poterat, loqui cæpit. Tandem intelligens inſtare ſibi mortem, filium, nurũ, nepotes relinquit, reijcit labẽtium fluentiumq; rerum curam, & omnem vim mentis intendens ad ea, quæ ſola ſunt ſemper eodem modo, & æterna; Mariæ ſemper virginis opem implorans *Maria, inquit, mater gratiæ, mater miſericordiæ, tu me ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe.* Suã inde fidẽ ex Apoſtolorum ſymbolo publice profeſſa, totũ carmẽ à Chriſto cõpoſitum diſcipuliſq; traditũ ad precandũ Deum, clara voce peregit. Nõnullas alias precationes addidit, quas recitantem ſenſim vox, ſenſus, vires deficiebant: donec omnibus cæleſtibus donis cumulata mens, corpus deſerens, ita compoſitũ ore,

ocu-

oculis, vultu, vt obdormiuiſſe, nō mortuū eſſe videretur, anno 65. quam à Deo Opt Max procreata fuerat; & ei tuendo regūdoq; præpoſita, in regionem cōuenientem naturæ ſuæ, domicilium immortalis, ac beatæ vitæ migrans, magnum ſui deſiderium in omnium animis infixum reliquit. Nam etſi vitam ſuo propè tempore naturæ redditam eſſe opinabantur, tamen partim parentem talem, partim vitæ ſociam, alij patronam, alij nutricem cum vultu & fletu requirebant: magno lumine, inſigni ornamento, firmo præſidio Luſitaniam, atque adeo Hiſpaniam vniuerſam nudatam eſſe exiſtimabant: tali pacis interprete, internuntia deprecandi belli, controuerſiarum diſceptatrice & iudice ſublata, fieri non poſſe videbant; quin illa, quæ poſtea extiterunt, mala conſequerentur. Itaque poſt eius obitum ſolito magis indies gliſcente diſcordia, Luſitanus Pacem auguſtā in Beturia flumini Anæ impoſitam, quod nunc Badaiozium vocatur, tandiu circunſedit Petro fratre Callaicos eodem tempore vexante, quoad duce quodam ſuo à Bæticis magna cæde victo obſidionem ſoluere coactus eſt. At gener illico vlturus iniuriam, ex eodē oppido cum opulento exercitu in Luſitaniā inuectus, omnia cæde & incendio vaſtauit, vnoq; tēpore quicquid agri eſt inter Duriū & Minium Luſitaniæ cōtributū, à ducibus ipſius ita ſpoliatum eſt, vt Portū vſq; perueniret illa direptio. Luſitana claſſis omnē Bæticæ orā miſerè fædauit, rurſusq; nauibus, & militibus aucta Callaicū litus liberè populata eſt. Bæticæ verò triremes litore, quod ab Ana fluuio ad ſacrum promōtoriū pertinet, ferro flāmaq; peruaſtato, Luſitanos oppreſſerūt ingēti prælio nauali, qua victoria ſuorū elatus vnus è ducibus Bæticis, infeſtis ſignis, quaſi calamitas

lamitas quædam totum circum idem promontorium agrum peruaſit. Luſitan⁹ iterum ſuperato Minio Callaicos incendijs, depopulationibuſque fatigauit. Caſtellanus autem Ana traiecto proximos agros maritimos pari clade affecit, neque prius à prælijs & mutua pernicie ceſſarunt, quam Pontificis Maximi & Galliarum regis nuntijs, literis, precibuſque permoti reges, nouo inſuper barbarorum Hiſpaniam repetentium terrore victi; neceſſario ad eorum arma repellenda conſpirarunt. Hæc viciſſim illata & accepta detrimenta, poſt aliquanto, quam animam efflauit ſanctiſſima regina: quæ omnia ſi diutius illa vixiſſet, prohiberi facilè fortaſſe, & arceri potuiſſent. Verùm quum eſſet mortua, religionis antiſtites, qui præſentes aderant, ſolennes funerum precationes, & illa luce & nocte ſequenti, & proximo die lugubri ornatu, cantuque peregerunt. Delegerat autem ipſa moriens duos viros, eoſque teſtamento notarat, ac deſignarat, filium videlicet & ſaluatum Pōtificem Lamacenum, qui curarent ſedulo, ne quid de vltima voluntate ſua vel miſſum fieret, vel immutaretur. Simul in eodem teſtamento ſcriptum fecerat, quoniam SS. Franciſci & Claræ religionem ſingularem, & virtutem mirabilem ſemper adamaſſet, ædemque virginibus ſacris ex ea diſciplina Conimbricæ conſtruxiſſet, ibi in ſepulchro iam ante præparato ſuum corpus velle condi. Erant qui difficile nimis & moleſtum, & minimè neceſſarium eſſe dicerent, ſtatim exanimum corpus eo vſque deportari; Conimbricam enim centum & viginti octo millia paſſuum à Stremotio diſtare: calores, vtpote menſe Quintili, eſſe vehementiſſimos; reginam intra quintum diem, nihil ferè diminuto, & attenuato corpore extinctam, eo intra paucas horas putre-

putreſcente, adeò grauẽ, & tetrum odorem excitatum iri, vt nemo ferre poſſet. Erat iam tunc Stremotij Sancti Franciſci ædes magna & religioſa, in qua etiam nunc viri circiter viginti ſex ex illa ſanctiſſima familià degunt. Igitur aut in ea æde, aut in templo maximo Eborenſi, quando non longiſſimè abeſſet, humandum cenſebant regium cadauer, & expectandum tantiſper, dum viſcera perederentur. Oſſa deinde Conimbricam translata in ſua ſede reponenda; vt neque mortua voluntas reſcinderetur, neque tam intolerabilem fætoris moleſtiam in proſequendo cadauere præſtantes viri ferre cogerentur. Alij contra, quod moriens regina ſcriptum reliquiſſet, id omnino, quemadmodum ſcriptum eſſet, fieri oportere cõtendebant, quorum ſententiam magis probante rege proximo die Veneris in ligneum loculum corpus includitur; proficiſcuntur à meridie multis honoratis nobilibuſque viris officij cauſa proſequentibus: ac præter cæteros Pontifice Lamaceno; virentibuſque omnibus, ne languidum cadauer illis caloribus in tam longinquas terras integrum perferri nequiret. Iactabatur, vt fit, loculus in omnes partes: agitabatur incluſum corpus impactum vtrique lateri tanta vi, tanto ſtrepitu, vt qui ſequebantur fractum illud omnibus membris, & comminutum eſſe ſibi perſuaderent. Accedebat eodem, quod multi ex familia reginæ, quos illa viuens plurimis beneficijs affecerat, dum mortuam lamentarentur, inflammati animi dolore, loculum grauiſſimè percutiebant. Quapropter vix progreſſi fuerant paucorum dierum viam, quum ille commiſſuris omnibus etſi tabulæ religatæ clauis erant, & funibus aſtrictæ continebantur, patentibus rimis dehiſcere cæpit. Emanabatq́ue iam è cada-

uere

uere ſanies,crebris ictibus expreſſa. Tum verò quibus deportandi corporis negotium à rege commiſſum erat,non metuebant ſolum,& admurmurabant, ſed etiam palam loquebantur,nec ſine ſtomacho quidem, nullo modo poſſe fieri, vt putria & corrupta membra, nulloque ſpiritu continente diſſoluta, & effluentia,quo intenderent iter, peruenirent. Breui tantum fœtorem è loculo proruptum omnium naribus afflandum; vt nemo longè ſequi aut conſiſtere poſſet,nedum propius auderet accedere.Filij nonnūquam pietatem aduerſus matrem abutentes finitimi vitij nomine reprehendebant;multò rectius futurum fuiſſe hominum prudentiſſimorum conſilijs obtēperare,quam inuita & reclamante natura tantū oneris & laboris imponere nobiliſſimis viris.Scilicet nō ſatis eſſe regum affectatoribus viuorū faſtidium,& imperia immoderata perferre,niſi mortuorū etiā inſeri tabo fluentia cadauera,& odoris intolerabilis fœditatem ſuſtinerent. Hæc illi rei totius adhuc ignari, nihilque maius,neque diuinius de Eliſabeta cogitantes, quæ quod alijs cadaueribus accidere ſciebant, iam apertè quærebantur. At Deus,cui facillimum eſt quicquid adminiſtra natura rerum à ſe conſtituta, ſingulis horis & momentis efficit, idem nulla adiuuante cauſa, repugnante etiam ipſa natura, facere quum velit, vt in multis antea ſanctiſſimis hominib' ſæpe fecerat,nouo aliquo inſolitoq; monſtro,ſanctitatem eius,quæ portabatur,palam proferre decreuit. Ergo vt ſi Cypero,iunco,calamo, cardamomo,balſamo,agallacho;& vt multa cōplectar breui,vt ſtirpiū quarundā radicibus,materiæ,libro,floribus,fructib', lachrymis, & quod eſt mirabilius, certarum animātiū ſudori,puriq; maturo eā ab initio vim,& naturam dede-

dederat, quũ nullã haberét; vt admirabili quadã odoris iucunditate longè, lateq; permanãte, & circũfuſum aerẽ, & hominum nares, ſenſuſque cõplerent, ſic tũ emortuo & liqueſcẽti corpori, cui natura erat putere, mirabiliter vim talem inſeuit, & ingenerauit, vt pro malo & putido ſuauiſſimũ & quaſi cæleſtẽ quẽdã odorem profunderet, oſtendentem integritate ſua integritatem transactæ vitæ. Quem vbi omnis illa multitudo percepit, quæ officio debito cohoneſtabat Eliſabetæ funus, mulieres, viri, equites, nobiles, religionis antiſtites facto ad loculum experiundi gratia cõcurſu, ſimul exclamant, miſcentes gaudio fletum, rem eſſe nouam, prodigioſam, diuinam, qualem de nonnullis præſtantiſſimis hominibus aliquando legiſſent, vel audiſſent. Nihil æſtu caniculæ, nihil ſpatium temporis, nihil exanimi corporis nimium ſuccum ad corruptionem valuiſſe. Victam eſſe vim elementorum, è quibus corpora infra lunam temperata concreſcant, perturbatum vnius mulieris excellenti pietate rerum ordinem, euerſas naturæ leges, debilitatos, & fractos impetus mortis. Ceſſiſſe naturam naturæ, ortam æternæ, creatam effectrici, caducam immortali, humanã diuinæ. Prædicare omnes Dei numen, poteſtatem efferre verbis, laudare pluſquam patriam indulgentiam erga bonos, magnas interdum illi gratias agere, quod Reginæ præſtantis, quam ſibi ſemper addictam, debitã, obſtrictam habuiſſet, probitatem morum egregiaque facta non ſolum illo veluti ſigno poſteris indicaſſet, verũ etiã præclaro indicio comprobatam ad immortalẽ memoriã, & religionẽ conſecraſſet. Tam inopinato ſtupẽtib⁹ euentu, alius nõ minus mirabilis diuinitus oblatus Alfonſus Martin. ſacerdos ex familia Pon-

lia Pontificis Lamaceni,& Ioannes Maceria è domeſticis Reginæ, ſupellectilis eius, dum adhuc viueret, iuſtos ægro corpore febrientes ad loculum venerabũdi quũ acceſſiſſent, & rogaſſent, vt morbum illum à ſe deprecaretur, ſubitò decedentem febrem ab eo tempore non cenſerunt, vt ex eorum confeſſione, Epiſcopi Lamaceni teſtificatione, Martini Alfonſi Scribæ Conimbricenſis tabulis cognoſci poteſt. Septimo die tandem æſtuoſiſſima via ventum Conimbricam eſt, & in medio templo S. Claræ depoſitum in feretro cadauer. Eliſabeta dum vixit benefaciendi cupiditate multas honeſtiſſimorum equitum familias apud ſe educans; nutrices non paucos habebat domi, eaſque omnes proficiſcens in vrbe reliquerat cum alumnis ſuis. Inter eas erat Maria Michaelia Lerienſis, cui iam dudum in manu dextera gibbus ingẽs excreuerat, quo die verò regium funus Conimbricam peruenit, quum accubuiſſent, deque Reginæ vita, & præclaris facinoribus inter epulandum cum dolore colloquerentur, & quam multi tale perfugium amiſſum eſſent deſideraturi, Maria quædam Dominici filia, quæ in illo itinere ſupremo & viuentem illam, & mortuam comitata fuerat, alteram appellãs, cui manus erat gibbera; ora inquit, vt à Deo deprecetur, vt iſtum tibi gibberem miſerè fœdantem manum auelli patiatur. Ego linteum ſeruo, cui malagmata illini ſolebant imponenda laboranti, ſanguine profluente ex tumore tinctum, in quo propter ſingularia reginæ merita erga Deum magnum præſidium poſitum eſſe credo, ad mitigandos & expellendos omnes morbos. Certam ea verba fiduciam recens tum vitæ, tum eorũ, quæ poſt mortẽ accidiſſent, memoria omnibus attulerunt, præſenti ſanctiſſimæ mulieris ope diſcuti

poſſe

poſſe tuber quanuis magnum & inueteratum. Linteolum exhiberi iubent, quo cum inuoluiſſent manum ægram, rurſusque poſt epulas euolutam detexiſſent, ne veſtigium quidem vllum tumoris repertum eſt. Tantam ad ſanandum vim Deus ineſſe voluit etiam in ijs, quæ quoquo modo corpus Eliſabetæ contigiſſent. Ea res quum ipſius Michaeliæ, quæ tam inſigne beneficium acceperat, tum aliorum, qui interfuerant teſtimonijs religioſiſſimis confirmata, publicis eiuſdem Martini Alphonſi ſcribæ literis ad poſteritatis memoriam continetur. Dum hæc alibi geruntur, Pontifex Lamacenus, alijque funeris illius comites, quoniam loculus multis partibus patebat latiſſimis rimis, ciuesque Conimbricenſes, & alij complures mortales viuentis reginæ beneficentia recreati, ope erecti, liberalitate acti, omnia plangore, lamentationeque complebant, ſtatuerunt, vt proxima nocte quieſcente illa multitudine quæ ſeruabat in templo corpus, clam per ſilentium raptum in ſepulchro iam aperto conderetur, in eiusque locum alius loculus inanis ſupponeretur, ne fraudem experrecti ſentirent. Ad id munus obeundum minores vrbis magiſtratus euocati, eisque dati ſocij viri aliquot delecti plurimis obligati beneficijs reginæ, qui negotio ſuſcepto, quum ſe prima vigilia tradidiſſent, vt intempeſta nocte, quæ maximè opportuna erat incepto perficiendo vigilare poſſent, tam graui ſomno obruti fuerunt Dei voluntate, officij debiti, & laudabilis in parentem ſuam pietatis materiam plebi eripi nolentis; vt nemo omnium niſi clara luce expergiſceretur. Itaque vbi diluxit, omnes religioſæ familiæ, multique prætereà ſacerdotes ex omnibus templis Curialibus ritu ſolenni, funebri pre-

catione, lamentabilique cantu parentalia ſacra vnà concelebrarunt, opifice mundi Deo multis iam tum repentinis deſperatorum morborum curationibus oſtendente, quantum apud ſe valeant Eliſabetæ preces. Erat enim in illo Parthenone mulier tantis genuum oppreſſa doloribus; vt neque crura flectere, neque ſe vllo pacto commouere poſſet: quæ cognito reginæ deceſſu, & ſanctiſſimi corporis aduentu, dolens magnoperè non ſua ſolum valetudine, ſed multò etiam magis, quod cum virginibus cæteris officium ſupremi communi cætus illius parenti perſoluere prohiberetur, non prius cum intimo quodam animi ſenſu flens orare deſtitit fruentem diuinis bonis, vt à Deo ſibi tanti cruciatus liberationem obtineret; quàm facta voti compos lætitiaque geſtiens vnà cum cęteris tam ſubitam commutationem valdè mirantibus, proceſſit ad lugubre carmen præeundo, & viciſſim reſpondendo concinendum. quod poſtea & ipſius, & aliorum teſtimonijs apud Epiſcopum Lamacenum planum factum eſt, & per illũ ipſum Martinum Alfonſum ſcribam in tabulas pulicas relatũ. Vbi verò tempus aduenit includédi corporis in monumentum & tegendis viri primarij delecti, qui feretrum ſubeuntes in ſacellũ ſuperius latioribus Scalis, qua extrinſecus illud adiri diximus, efferrent: quorũ quum manus atq; veſtes imbuerentur è loculo fluente ſanie, oẽs odorũ ſuauitates admoueri ſibi ad nares opinabantur: tantum abfuit, vt vllo horrore, aut moleſtia afficerẽtur. Expectabant intra ianuam ad quam ijſdẽ Scalis aditum eſſe oſtenſum eſt, vniuerſæ ſacræ virgines parentis & nutricis ſuæ corpus: ꝙ quum intro ferri poſtulauiſſent, magno animi dolore deflerũt caſum, & orbitatẽ ſuam; quæ tale vitę ſubſidium,
cura-

curatum ſolatium, laboris participem, & ſociam perdidiſſent, mitigante Deo pium earum mœrorem nouo beneficio, ac demonſtrante ſimul, quanto meliore vita frueretur, quam mortuam lugerẽt. Nam in illo ſacro Cætu Cõſtantia Ania ciuis Eborenſis, iamdiu inſanabili horribilíque morbo vrgebatur. Peſtiferum quoddam vlcus ei labia, gingiuaſque depaſcebatur, ſenſimque ſerpebat latius, nec multum abeſſe videbatur, quin amitteret oẽs dentes. Vociferabatur ſæpenumerò miſerabiliter tanti mali tormenta non ferẽs; & aliarum tranquillitatẽ, ac religioſum otium turbabat clamoribus; nec medicorũ artificium & induſtria, vllam tantæ peſti poterat opẽ afferre. Erat ei bene nota reginæ vita: multa videbat accidiſſe diuinitus poſt eius obitũ: ſperauit ſi eam patronam apud Deũ adhiberet, quiduis minimo negotio aſſecuturã; abijcit ſe ſupplex ad feretrũ, ita loculũ oſculatur, vt ægram partẽ oris, & confectam illa lue contingeret. Recipit ſe cum cæteris. Non eſt dubium, quin cineribus atq; oſſibus hominum religioſe præſtantium ſit cultus quidã tribuendus, quorum cõtactu vel aſpectu tam præſens diuinum auxilium, & numen oſtẽditur. Dum ſanctiſſimũ corpus à ianua Parthenonis ad ſepulchrum aſportaretur, Conſtantia liberã ſe eſſe priſtino cruciatu ſentiens, aduocat ſocias, rem omnẽ exponit, os inſpiciendum præbet: nulla ne tenuiſſima quidem illius peſtis indicia cõparebant: integra omnia, beneque affecta reperiuntur, labra, gingiuæ, dentes, palatum. Quo miraculo obſtupefactæ ſimul oẽs conclamant vna voce: Reginæ ſanctitatem, & apud Deum gratiam mirantur, diuinam bonitatẽ laudibus extollit: magno & immortali beneficio affectas eſſe vniuerſas illa comite & conſorte eiuſdem diſcipli-

næ mirabiliter perſanata, non eſſe deſiderandam eius vitam, cuius morte re ipſa iam experirentur tanto ſe magis, & cæteros poſſe iuuari, quanto ampliore & anguſtiore regno in cælo cum Chriſto potiretur, quam in terris antea, vel cum viro, vel cum filia potita fuiſſet. Hoc tantum prodigium, & tam manifeſtum eodem, quo accidit, die apud Lamacenum Pontificem, quum eius quæ ſanata fuerat, tum aliarum virginum ſacrarum religione, & autoritate comprobatum in tabulis publicis per eundem illum Martinum Alphonſum perſcriptum eſt, ad memoriam omnium ſeculorum ſempiternam. Condito verò corpore digrediens à ſepulchro, multitudo mirabatur, & obſtupeſcebat re tam noua. Nonum illum iam diem eſſe à reginæ morte: cadauer tamen exangue viæ iactatione fractum, & penè protritum tali tempore anni ſuauiſſimum odorem effundere, quod primo quoque tempore grauiter fætere neceſſe fuiſſet. Alij per media roſeta odoriferaque nemora ingredi ſibi videri dicebant, quum ad ſuam ſedem illud deportaretur. Alij, qui longius abfuiſſent, recedentibus cæteris accedebant propius ad ſepulchrum, hauſtaque naribus illa tanta iucunditate clamabant, nullius rei tam gratum aliquando ſibi viſum odoratum. Ingentes Deo gratias agebant vniuerſi, quod eiuſmodi ſibi ſpectaculum exhibuiſſet, in quo facilè magnitudo, & maieſtas, & benignitas ipſius cerneretur. Tota deinde res ne tam certum regiæ virtutis argumentum, & indicium hominum obliuione deleretur, per Ioannem Dominicum ſcribam Conimbricenſem in tabulas relata, eæque tabulæ omnium ſignis, qui corpus ad ſepulchrum deportauerant, obſignatæ. Ecce autem in medio diſcedendo-

deo-

dentium tumultu noua res in ſe omnium oculos, animosq́ue conuertit. Nam Ferdinandus Stephanius Conimbricenſis, dum turba cedit (erat enim ingens hominum multitudo) acutiſſimo clauo feretri iacentis humi pedem induit, quem quum ægrè acerbiſſimo ſenſu doloris auelliſſet, & ita ex vulnere claudicaret, vt ingredi, aut inſiſtere non poſſet; O ſanctiſſima Regina, inquit, longè aliud ego præmium officij expectabam à tua beneficentia & immortali ac beata vita, non vt claudus abirem, qui integris pedibus veniſſem. Hæc vociferatus bona ſpe, & valde piè apud ſuperos degentem obſecrauit, vt reſpiceret officioſi clientis & miſeri periniquum caſum, ſuisq́ue precibus & apud Deum gratia medicinam faceret inopinato malo. Nondum fecerat precandi finem, quum dicto citius procuratum vulnus ne cicatricem quidem vllam, aut veſtigium reliquit: id quod idem Ioannes Dominicus fide & auctoritate litteris mandauit. Elogium eſt in pariete, ſacellum ab Odeo dirimente, inciſum verbis latinis, quo mortis & ſepulturæ dies, ædificatio Parthenonis illius, parentes, nuptiæ, liberi, nepotesq́ue notantur. Id quoniam genere ipſo ſermonis à noſtrorum temporum elegantia multum abhorret, prætermittendum iudicaui. Sed multa funus conſecuta ſunt nutu diuino magna admiratione digna, quæ deinceps ordine comprehendemus, ne qua pars Eliſabetæ ſanctitatis prætermiſſa eſſe videatur. Primum erat Conimbricæ in Curia ſancti Chriſtophori Maria Martinia, quæ diuturna & inueterata cæcitate alba & atra diſcernere nequibat, ea ſororem habebat Margaritam, Martiniam cuidam Paſchali Laurentio nuptam: à quibus cognitis auditione & fama tot tantisq́ue beneficijs à Deo per reginam

ginam impetraris, ad ſepulchrum ducta iacuit, ibi proſtrata pauliſper ſupplicans Deo, vt id talis reginæ meritis concederet, vt iamdudum amiſſum ſibi reſtitueret aſpectum. Fortè obdormijt: experrecta alterum oculorum aperuit, diſpexit, vidit monimentum regium, vidit ſacellum vbi ſitum eſt, incredibilique gaudio completa gratias agens Deo pro tanto beneficio, redijt domum ad ſororem, & eius virum. Sed bonus ille parens minore, quam poſtularat, munere contentam, ampliore quam acceperat, dono cumulauit. Vix enim pedem in limine poſuerat, cum altero quoque oculo repente diſpexit. Itaque Margarita ſoror obſtupuit cum viro: omneſque ſimul Dei benignitatem omnium maximorum munerum autoris clariſſima voce prædicantes, memores tamen cuius deprecatione tantum ab illo beneficium accepiſſent, veniunt ad Pontificē Lamaconum, omnia de priſtina cæcitate, deque aſpectu reſtituto narrant, ad iuſiurandum adducti nihil immutant, totaque res in publicis literis à Martino Alfonſo præſcribitur, ne venire poſſet in obliuionem, aut apud poſteros careret fide. Dici vix poteſt quantam ceperit admiratio Pontificem cum omni comitatu, Mariam propius videre accedere, oculos ante cæcos, tum videntes inſpicere diligenter, etiam atque etiam conſiderare, nequaquam poſſe ſatiari. deinde ante triceſimum diem à reginæ ſepultura, Dominica Dionyſia tot rerum mirabilium fama permota ex agro Condexienſi, vbi quondam Conimbrica fuiſſe perhibetur, ad monumentum venit pallore, macieque confecta. nam hirudo penitus in faucibus inhærens omnem miſeræ ſuccum, & ſanguinem exhauriebat, quam multi medici ac chirurgi eximere conati, periculum artis ſuæ fru-

ſtra fe-

ſtra fecerant. Sed quum ad ſepulchrum abiecta eiulans opem à regina peteret, præſentibus ijs, qui fuerant in familia illius, tum viris, tum fœminis, & funebria ſacrificia, quæ pro Eliſabeta mortua fiebant, piè decorantibus, tenui & imbecilla voce (iam clarius loqui non poterat) admonere cœpit hirudinem in labijs eſſe; accurrit Cetarius reginæ, forficem inijcit: at illa corpore lubrico elapſa, & in fauces intimas prorſus recondita, ſubito magna admiratione omnium naribus excidens, fidem fecit, quanto ſint humanis maiora præſidia cæleſtium; ingentes agere Deo gratias qui aderant, cuius conceſſu & munere tam prodigioſum factum videre licuiſſet; Eliſabetæ virtutem exaggerare verbis, magnam animi percipere lætitiam, ſpem bonam in poſterum habere tantæ ſanctitatis auxilijs, omnia mala, annuente Deo, poſſe depelli. Cæterum ne quando dubitandi locus eſſet, an hoc ita eueniſſet, & periculum ægræ mulieris, & liberatio permultis religioſiſſimis teſtibus approbata, per Martinum Alphonſum in literas publicas relata eſt. Scalabi verò in Curia ſancti Nicolai Tereſia Roderici oculis capta, precibus aſſiduis per Eliſabetam recepit aſpectum. Quo beneficio commota, quum eius ſepulchrum religioſè viſiſſet, rem totam iureiurando ſolenni confirmatam per Martinum Alphonſum publicis literis & monumentis conſignandam curauit. Addit, ſcire ſe in eodem oppido multis multa diuinitus reginæ meritis & deprecatione concedi. Porrò circiter tria millia paſſuum à Conimbrica, fluuio aduerſo in ſiniſtra ripa ædes eſt ſancti Georgij ſacra, quam ſuperioribus ætatibus viri religioſi è ſancti Auguſtini diſci-

plina, quos appellant Canonicos, obtinebant. Vnus ex ijs, cui Alphonſo Ferdinando nomen erat, matrem ſuam, quam cæcam duxerat ad ſepulchrum Eliſabetæ, probè videntem reduxit domum. Zauerij autem, qui vicus eſt in agro Conimbricenſi paulò ſupra ſancti Martini templum, quædam mulier abſentis filij, de quo neſciebat viueretne adhuc, an eſſet mortuus, deſiderium non ferens, obſecrauit cum lacrymis regina, ſi fortè viueret, vt eius conſpectu priuſquam migraret è vita, frui ſibi liceret: aberat adoleſcens à patria ad centum & viginti millia paſſuum; cuius animus tanta repentè cura, tantoque deſiderio videndæ matris æſtuare cæpit, vt eo loco diutius conſiſtere nequiret; redijt domum ante octauum ab eo diem, quo illæ pro reditu reginæ ſupplicarat, amboque gratulabundi ad ſepulchrum adierunt. At Eboræ apud Benedictum Perezium locupletem negotiatorem famulus quidam ipſius ſemiuiuus iacebat. Etenim quintum decimum iam diem hirudo in gutture infixa totum ſanguinem exorbebat, intumueratque collũ vehementius, & iam biduum neque vocem reddere, neque cibum capere poterat: quum illo ipſo die moriturus crederetur, comparata iam tunica, cereis, cæteriſque rebus neceſſarijs ad funus faciendum, Ioannes Anius præfectus regiarum ædium ornandarum, Lupum Stephanium inuiſens Benedicti Perezij vicinum, quæſiuit quid ſibi vellet illa tanta multitudo hominum ad ianuam mercatoris, vbi cauſam accepit tanti concurſus, ſi per valetudinem, inquit, poſſet vouere miſer, ſe Eliſabetæ reginæ monumentum ſi conualeſceret eſſe viſurum, ſine dubio Deus propter eam aliquod tanto periculo remedium oſtenderet. Interea iacebat ille ſemi-
animis

animis aſpectu formidoloſo, palpebræ minimè coibant, apparebat album oculorum, iamiam expiraturus putabatur. Accedunt propius mulieres quædam; monent, vt opem Eliſabetæ reginæ tacitus imploret: quod quum ille manus tendens in cælum facere ſe ſignificaſſet, repentina tuſſi ſanguinem expulit, mox leuantibus caput qui aderant, quum hirudinem ipſam teterrimo ſanguine inuolutam eieciſſet, illa ipſa luce loqui cœpit. Iam verò anno à Chriſto nato milleſimo trecenteſimo trigeſimo quinto, monachus quidam Ciſtertienſis ab Archimandrita Alcobacienſi in vincula coniectus, quum quartum iam annum nihil eſſet opis in literis & deprecatione principum virorum, eiuſdem reginæ præſidio intra menſem, quo ei ſupplicatum erat liberatus fuit. Et biennio poſt Stephanus Gonſaluius Leitanus vir nobilis magiſter militaris ordinis, quia Chriſto cognomen habet Conimbricæ coram vrbis præfecto, magnaque omnium ordinum multitudine iureiurando interpoſito religiosè teſtificatus eſt, quum ita brachium ex vulnere ſtuperet, vt nihil prehendere, complectique poſſet, & reginæ ſanctitatis in famulatu perſpectæ memor ad monimentum orauiſſet, vt à Deo ſibi priſtinam firmitatem obtineret; ne mancus, altero brachio captus, ac debilis, reliquam vitam miſerabiliter viuere cogeretur, aſſecutum ſe eſſe quod optaſſet, diuino munere ac dono. Anno verò ſecundo & octogeſimo ſupra milleſimum & trecenteſimum, decimo quarto kalend. Maij, Lamacena quædam mulier Conimbricam peruenit, quæ cum à dæmonibus plurimis vexaretur, ab alijs quidem, multis religiosè ſuſceptis & obitis peregrinationibus, liberatam ſe eſſe dicebat, ſeptem tantùm eſſe reliquos,

M 5 qui

qui non prius ſe diſceſſuros eſſe affirmarent, quam ventum eſſet ad ſacellum, in quo regina iaceret. Comitabantur cognatam ſuam viri duo e ſancti Franciſci familia, Stephanus & Franciſcus germani fratres. Cum ijs ingens virorum & matronarum numerus miſeram fœminam ad ſepulchrum ducunt, totam noctem vigiles in deprecando Deo, & Eliſabethæ ſe implorandа conſumunt. Ecce prima luce dæmones, vt ſolebant, magna vi mulierem oppreſſam exagitant: qui pulſi & fugati precibus circumſtantium, opeque reginæ, liberam eam in perpetuum reliquerunt. Beatrix Pimenteſia, quæ tum Parthenoni præerat, & omnes ſacræ virgines aduocatæ, tanta rei commiſeratione & aſpectu incenſæ cum cæteris, gaudentes pro tanto beneficio Deo gratulatæ ſunt. Duodeuiginti annis poſt vni è virginibus ſacris, quæ tum in illo Parthenone erant, cuius manum dexteram impetigo, moleſtum ſane morbi genus, male habebat, ſanctiſſimæ reginæ apud opificem mundi gratia opitulata eſt. Nam quum ei ceream manum munus exiguum ingenti pietate & fiducia obtuliſſet, intra viceſimum diem pice nigrius effectum malum ſponte ſine vllo ſenſu virginis excidit: quod apud Catarinam nobilem fœminam, quæ tum forte cætum illum regebat, cæteraſque virgines ſacras pari factum & illuſtrium, omnium ſtudia vehementer inflammauit. Quod ſi natura fieri potuit, vt vltro ſaneſceret affecta manus, non continuo ſua beatæ Eliſabetæ gloria detrahenda eſt, ſiquidem non minus Chriſto Optim. Maxim. tribuitur ſocerus ſancti Petri ſalus, quam vel medicinæ, vel etiam ſine medicina ſolius naturæ præſidijs aſſequi fortaſſe potuiſſet, quam Lazari è ſepulchro exci-

tari

tati vita, quæ niſi minime diuino reſlaret nullo a- ſto valuiſſet. Et æquè Dei bonitati aſcribimus ſan- cti Pauli incredibilem rerum cæleſtium cognitio- nem, ac ſancti Antonij primi anachoritæ ſacrorum librorum ſine literarum notitia perfectam intelli- gentiam, etiamſi illa ſolo Deo magiſtro comprehen- datur, hæc ſtudio queat & induſtria comparari. Mul- tis præterea illis temporibus, partim varijs & gra- uibus affecti morbis, partim dæmonibus obnoxij ad monumentum ſanctiſſimæ reginæ confluentes, læti atque hilares accepta medicina redierunt do- mum. Longum enim eſſet perſequi, quam multa & magna beneficia per Eliſabetam homines à Deo re- rum parente conſequerentur, cuius vitam intuentes digna plane arbitrabantur, cui tantus honos ab alijs tribueretur: Latuit deinde totum prope ſeculum in- tra priuatos illius Parthenonis parietes tanta ſancti- tas ignota, vt ne ciues quidem Conimbricenſes fe- re ſcirent, quantum theſaurum tam propè à mœni- bus ſolo amne interfluente diuiſum poſſiderent. Tandem anno decimo ſexto ſupra milleſimum & quingenteſimum ab ortu Chriſti, rex Emmanuel edoctus, quam multa quotannis reginæ ſanctiſſi- mæ precibus diuinitus acciderent, per Michaë- lem Syluium Legatum ſuum à Leone Pontifice ma- ximo, qui decimus fuit hoc nomine, conſecu- tus eſt, vt tota Conimbricenſi diœceſi cum ſo- lenni ritu coleret, eius imagines publicè, & pri- uatim dedicare ius faſque eſſet; quanuis nondum legitimè publica cæremonia in Sanctorum nume- rum eſſet aſcripta: cuius nomine precandi ritu, quem officium vulgò vocant, Lucius Andreas Re- ſendius vir apprimè doctus anno 1551. prudenter

com-

compoſuit, genere quodam orationis ad Eccleſiæ conſuetudinem admodum accommodato. Aliquanto poſt Rex Ioannes filius Emmanuelis à Pontifice Maximo obtinuit, vt in regia eandem ſibi venerari liceret: Et Pompeius Zambicarius Pontificis Maximi legatus, anno huius ſeculi 53. omnibus precationem à Chriſto inſtitutam & Angeli ſalutationem pro ſtatu Chriſtianæ Reipublic. & incremento religionis ter ad ſepulchrum reginæ recitantibus ipſius ferijs, octoque diebus inſequentibus, aut diebus feſtis ſanctorum Bartholomæi, Ioannis Baptiſtæ, Claræ, Petri & Pauli, ac Hieronymi, conceſſit omnes pœnarum remiſſiones, quas ijſdem diebus adipiſcuntur, qui vrbis Romæ templa, vel intra, vel extra mœniam religioſè viſunt. neque Deus interea illius inſignem vitæ ſanctitatem in lucem proferre deſtitit, ijs rebus patrandis, quæ magnam ſolent hominibus admirationem commouere. Eſt propè Conimbricam ædes ſanctæ Mariæ ſacra, cui à vico Cellis nomen eſt, magna frequentia virginum ſacrarum è ſancti Bernardi diſciplina. Ei collegio præpoſita erat Maria Zauora, non virtute modò, verum etiam genere clara, quum Anna Azpilcueta vna ex illo numero diu cruribus capta riguit, neruis ita reſolutis, vt geſtari quidem poſſet, incedere ipſa non poſſet. Nullum ab induſtrijs medicis remedium omiſſum eſt; ſed ars victa malo omnem ſanitatis reſtitutæ gloriam Deo primum, deinde reginæ ſanctiſſimæ reliquit. Inſtabat iam huius ſeculi anno 53. ſolennis S. Eliſabetæ dies, & eius diei antecedente nocte ægræ virginis Magiſtra recitans precationes matutinas, quæ mirabiliter ope reginæ facta fuiſſent exponebat, cupidè & attentè audienti: ſimul vt ab ea ſupplex auxilium

lium peteret hortabatur, fecit illa diligenter & piè, vt exitus rei declarauit. Arctior deinde ſomnus feſſam malis complexus eſt. In quiete autem per viſum audire ſibi viſa imperantem quendam, vt ſurgeret, valetudine per Eliſabetam reſtituta; excitataque ſubitò omnibus artubus contremuit. Exiluit è lecto ſola neminem inclamans: opemque diuinam præſentem ſentiens veſtes induit, in Odeum venit, vbi cæteræ matutinas preces concinebant. Quanta fuerit omnium admiratio, quæ lætitia, quæ lacrymæ, ab animi pietate profectæ, facilis eſt coniectura. Sed tota res Martini Azpileuetæ Nauarienſis cura, cuius eximia iuris pontificij prudentia magnum attulit Hiſpaniæ vniuerſæ lumen, publicis literis comprehenſa eſt, ne qua ei finem afferat vetuſtas. Paucis poſt annis mortuo Ioanne vnico hærede regni, ſpes omnis Luſitaniæ ſita erat in partu Ioannæ vxoris, quam ille grauidam expletis iam ad pariendum temporibus reliquerat. Pendebant omnium animi inter ſpem & metum, nec erat vlla ciuitas, in qua non quotidianæ ſupplicationes ad omnia templa haberentur. Conimbricenſes commune periculum ritè ducentes ſuum, die quodam, prima luce, cum ſolenni pompa ad reginæ ſepulchrum ſupplicandi gratia venerunt. Conſtat, vniuerſo populo pro ſalute communi & tranquillitate regni ibi vota faciente, Regem Sebaſtianum eſſe natum: quem diuino munere donatum nobis, religione ac pietate erga Deum, & omnes cælites, fortitudine aduerſus hoſtes Chriſtiani nominis, æquitate in ſuos, & beneficentia, dignum maioribus præſtantiſſimis regibus, dignum tali ſtirpe futurum eſſe confidimus. Ad extremum qua a eiuſdem regis admirabili pietate permotus Paulus

Pontifex Maxim. quartus hoc nomine ſuperiorum Pontificum diplomata amplificaſſet, poteſtatemque feciſſet imagines eius erigendi, annua ſacra faciendi, publica cæremonia comprecandi, quacunque ditio Luſitanorum regum, & imperium pateret; inſtituit ille, vt erat aduerſus cæleſtes inſigni religione, vt in hoc ampliſſimo domicilio ingenuarum artium à ſe maximis ſumptibus ædificato, & optimè conſtituto ſingulis annis dies feſtus ageretur ante diem ſextum non. Quint. quo tempore reginam ad concilium beatorum animorum migraſſe iam diximus.

L. D. B. Q. V.

COLONIAE AGRIPPINAE,

Excudebat Stephanus Hemmerden, ſumptibus Bernardi Gualtheri.

ANNO M. DC. IX.

7—10.